JOACHIMI DE HIRTENBERG PASTORII.

CHARACTER VIRTUTUM

variis, aliorum etiam quà veterum, quà recentium Autorum coloribus adumbratus.

Editio quarta & à mendis prioribus repurgata.

Adjunctum est aliud opusculum, Lucem Virtutum ex naturâ stellarum explicans, Prælustribus GULDENSTERNIIS olim simul cum Charactere dedicatum.

DANTISCI,
Imprim. DAV-FRIDERICUS RHETIUS.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo

DOMINO

Dn. JOANNI SBASKI,

Epiſcopo Przemislienſi, Abbati Suleovienſi,

DOMINO & PATRONO

GRATIOSISSIMO.

OFfero Tibi, *Illuſtriſſime Patrone*, opus mole perexiguum, prolixo offerentis affectu magnum, argumenti præſtantiâ maximum, De Virtute enim agit, cujus naturam & officia, ab aliis fusè deſcripta, novo compendio, novis coloribus depingit: perinde ut Ingentia terrarum ſpatia exili nonnunquam tabulâ comprehendi ſolent, magno lectoris allevamento, memoriæ ſubſidio, minori chartarum pondere, rerum non minori. Quod ſi autem viros Excellentes etiam in imagine ſuſpicere ac venerari fas eſt; quanto magis Virtutem, cui omnis excellentiæ in his terris origo & honos debetur. Illa ex immortalitatis ſinu profecta, exercitatione aucta, hominem ſupra omnia humana, ſupra ipſam etiam fortunæ & fativim evehere, naturisque immortalibus reddere parem poteſt. Illa nativâ ſuâ pulchritudine adeo eſt eximia, adeò opibus propriis dives, ut ſine dote etiam & vel nuda placere ſui intelligentibus & capacibus ſoleat. In eâ præcipuè *magnum* illud *pulchrum* continetur, quod veteribus Sapientiæ magiſtris identidem in ore fuit, & in Scriptis eorum usque lucet. *Pulchri* illius lineamenta, & ichnographiam quandam ego junior olim, in gratiam Regii Sanguinis juvenum *Caſtellanidum Gedanenſium*, cognatorum Tuorum, dare conatus ſum. Verum illi fato præpropero, & antequam virtutem totam capere, ac moribus exprimere poſſent, ſubrepti, ipſum etiam familiæ no-

men

men ſecum terris his noſtris abſtulêre. Opuſculum verò hoc variis poſtea in locis, formâ non unâ recuſum, cum applauſu omnium receptum, alicubi etiam mendis aſperſum fuit non paucis. Sub limam igitur id revocare, alicubi & augere, tandem verò ſic renovatum novo Patrono, ejusdem tamen proſapiæ, cujus illuſtre illud juvenum defunctorum par erat, inſcribere viſum fuit. Tibi nimirum Illuſtrisſime Domine, qui vivum omnium Virtutum exemplar & character es, & de me ac domo meâ præclarè mereri nunquam cesſas. Quibus beneficiis uti luculenter ornari, ita ſimul anxium me reddi jam dudum ſentio, dum asſiduò modos veſtigo, quibus gratum erga Te animum in publico eruditi orbis theatro faciam teſtatum. Id verò ſine morâ facere ardens, hunc ipſum, qui ex proximo occurrit, arripio tractatum, non animo ſolvendi debitum, ſed profitendi tantùm, quod debeam. In futurum verò, ſi vitam producere licebit, aliam grati auimi teſtificationem polliceor, quæ & Dignitati ſacri Muneris Tui aliquanto melius reſpondeat, & magnis tum Virtutibus, tum meritis Tuis ſpectabilius rependat præconium. Vale, Illuſtrisſime Antiſtes, & diu flore in decus Eccleſiæ, emolumentum Reipl. noſtrum ſolatium. Dab. Ged. III. Nov. Anno 1679

Illuſtriſſ. Dominationis Veſtræ

obſervantisſimus Servus

JOACHIMUS PASTORIUS,
Can. Ch. Dec. & Official Ged. ac per Pomeraniam generalis &c. &c.

UT Momi dentem ab hoc opuſcnlo tanto longiùs amoveam, lubet pro amuleto amicorum judicia ſubjungere; quamquam forſan ad lucem eorum fœtus hic haud facilè magis exſplendeſcet, quâm Autor erubuit. Primas ducat brevis Epiſtola â magnæ dignationis & claritatis, etiam inter literatos, Viro profecta, quam eo, quo ad me nuperrime ſcripta eſt, idiomate apponam.

Monſieur & treshonoré Amy.

JE vous renvoye la premiere fueille de vos Characteres & vous dis en verité, que je l' ay leue non ſeulement avec plaiſir, mais auſſi avec admiration. Vous faites toujours bien, mais en cecy vous vous eſtes ſur paſsè vous meſme, & comme voſtre eſprit eſt excellent en tous vos autres eſcrits, en ceſtvyci il eſt prēsque divin. Je vous prie donc de me faire la faveur, que je pviſſe avoir bien toſt le reſte. La dedication eſt auſſi fort belle, & je ſvis

Monſieur

V. treshumbl. ſerv.

Vincent. Fabricius,
Synd. Ged.

AD LECTOREM.

CErne CHARACTERM, *ſpirantes undique vultûs*
Adſpice, quos VIRTUS *inclyta*, LECTOR, *habet*:
Dextera Phidiaco dedit hos PASTORIA *cœlo*,
Sarmatici *textrix nobilis illa* Pepli.
Digna fuit ſculpi, rerum pulcherrima, VIRTUS:
Et fuit Hæc illam ſculpere digna MANUS.

f.

Joh. Petr. Titius.

CHARACTER VIRTUTUM.

PROOEMIUM.

De Fragilitate Humanâ.

QUisquis *Homo* es, ex *humo* ortum dictumque te cogita. Nomine tuo originis tuæ admoneris, ne exitûs tui obliviſcaris. De Terrâ, infimo & ad pedes vilisſimorum animalium abjecto elemento compoſitus es. Matrem tuam teris, & vix aſpicere eam unquam, niſi deſpiciens, potes. Limus adeò es facilè diffluens, pulvis levi aurâ difflabilis, verè imbecillitatis exemplum, verè ſpolium temporis, verè ludus fortunæ, mancipium laborum, miſeriarum gymnaſium, præda denique Mortis. A fletu vitam ordiris, & velut invitus lucem ſuſcipis. Pueritiam inter flagra, robur ætatis inter dura operum exigis, pariter aſperis rebus, ne ſuccumbas, quàm ſecundis, ne corrumparis, malè ſecurus. Nunc ſpei, nunc metûs, nunc iræ, nunc amoris ludibrium: quoquò te vertis, modeſtiæ ſtimulos & flagella ſuperbiæ reperiens: Omni te corporis, fortunæque tuæ machinâ monente, ut *humo* natus, *humiliter* de te

ſentias, animo tamen ſupra *humum* & humana omnia exſurgas. Ne in caducis æternitatem, ne in miſeriis beatitudinem quærens, inde in faſtum laxeris, unde in gyrum modeſtiæ adduci debebas; aut fucatis fidas, incubesve bonis, verorum incurioſus vel contemptor.

De hominis ſtatu meliore ex ſtudio Virtutis.

NOn totus ex *humo homo* es, non totus luteus & fragilis. Ille, qui de terrâ tibi corpus, animum de cœlo dedit DEus, ſubſtantiam ſydereis mentibus cognatam, auræ divinæ particulam, inqvilinam corporis, vitæ totius Ducem atque Imperatricem, mori neſciam, ad æterna & æternùm beata tendentem; tantoq; acrius tendentem, quando luce cœleſti, à fumis corporeæ defæcatur imbecillitatis; cum ea per ſe alioquin ferè debilior ſit, quàm ut per tot obices eluctari poſſit; corpore ad ſua, in præſens grata, olim nocitura, fortiter rapiente. Interim contra it illa, & ſæpe quidem impare, ſemper tamen aliquo impetu repugnat; eo victorioſior, quò plus à DEO, ab inſtitutione & exercitio accepit opis. Et cum à robuſtâ, frænumq; nondum paſsâ voluptatum cupiditate vinci neſciit, *Continentiæ*; cùm contumaci dolore, poſt multam luctam invicta ſtetit, *Tolerantiæ* laude donatur; cùm quemvis denique affectum facilè, & quaſi ſolens vincit, perfectæ *Vir-*

tutis

tutis coronam accipit. Virtutis, proprii maximè mortalium boni, & quod unum immortales facit; boni, omnia, quæ in terris extra ipſam ſplendent, vel habentis ut Inſtrumenta, vel ut vana aſpernantis, lætis triſtibusq; invictæ, & certam à pugnâ Laurum, vitamq; à morte ipsâ ſumentis.

De Cauſis & Adminiculis Virtutis.

UT ad tantum decus pervenias, DEo propitio inprimis opus eſt. Qui & naſcenti melioris indolis igniculos, & progredienti adjumenta varia dare poteſt. Ab hoc Spiritum omnis boni autorem, ab hoc Magiſtros accipies, honeſti inhoneſtique monſtratores, qui bonum immortalitatis, qui pulchritudinem virtutis, etiam inimicis ſuis venerabilem, qui conſcientiæ rectæ gaudia, malæ tormenta, & furiales faces oſtendant: qui rimas vitiis, vitioſis convictum præcludere, & illecebras omnes calcare poſſe, qui otium, bonæ mentis ſepulchrum, vitiorum verò nutriculam fugere doceant. Quibus autoribus Virtutis candidatus, dura à ſe exigere; vitiorumque etiam umbras averſari; & ut ab illicitis eò remotior ſit, ne licita quidem omnia ſibi permittere; ſectari autem, & facere tandem bonos; clara porrò exempla, præcipuè DEUM teſtem omnium intueri; aliorum rectè factis impensè delectari, pravis ex animo iraſci, aut indoleſcere, admonitionum, famæ, maximè verò conſcientiæ, re-

verentem esse, facilè primùm erubescendo, rubori in futurum causas præripere, examinare facta sua, mala confiteri, quotidiè in melius proficere discat; donec colorem honesti ita penitùs imbibat, ut elui non possit: & exercitatione crebrâ Virtus in consvetudinem & qvasi Naturam vertat.

De Objecto Virtutis.

QUærenti, circa quid Virtus versetur, respondet Sapientia, circa Teipsum, circa animi Tui motûs, & quæ ex his proficiscuntur, actiones. Gerit quisque in se affectus, velut gladios, prodesse & obesse, prout reguntur, aptos: Ceu ventos, qui navim vitæ vehunt, & nisi clavum rectè teneas, mergunt. Ut benè vehant, aliqvando dirigendi tantùm, quò debent, aliquando ad mediocritatem revocandi sunt. Ira in vitium nimia esse vix potest, in homines inardescens, ratione temperari debet. Amor cum in DEUM fertur, haud facilè modum excedet, cùm in voluptates, opus habet fræno. Fidentem & intrepidum esse ad pericula, generosum habetur: tamen nec semper hæc, nec quævis adeunda. Rubor, virtutis color & custos est, sed & hunc tamen intra modum oportet consistere. Absque hoc pudendus pudor, atque index potiùs Rusticitatis, & mora bonarum actionum erit. Miseriâ alterius affici fas est, sed ita ne in publicum sis im-
mise-

misericors. Ægris oculis alienam felicitatem solet aspicere Æmulatio, solet & Invidia. Hæc non sibi deesse, sed alteri adesse bonum dolet, pessima sui carnifex. Illa non alteri adesse, sed sibi deesse bonum malè fert, sæpè stimulus Virtutis. Circa hos, similesvè affectus, occupat se Virtus, eos regere, vel temperare, vel extingvere quærens. Sed hos homini insitos quasi ignes excitat porro, alitque materies externa. Non opes tantum & honores, sed quicquid cœlo terrâve appeti, aut fugi dignum est, ut virtus adeò non aliis finibus, quàm quibus Mundus, circumscribi possit.

De Prudentia.

VIrtus, non tantùm ea, quæ agimus aut dicimus, dirigit perficitve; in intimam mentem se insinuat, & ipsam istam hominis gubernatricem gubernat, DEO ab industriâ humanâ poscente, ut quod ipsi proximum mortalis habet, quàm diligentissimè excolat consummetve. Primas & necessarias maximè in eo opere partes exercet Prudentia. Non illa solis contemplationibus se deterit, ut aliæ intellectûs magistræ; sed & has, & quicquid usquam obvenit, ad usum vitæ accommodat. Virtutum verè princeps, & cæteris planè id, quod oculus corpori, qvod navi clavus. Hæc & vitæ cursum hominibus, & affectibus modum, & decòrum actionibus præscribit. Planè ars vivendi, bonorum malo-

malorumque diſcriminatrix, rerum divinarum humanarumque ſciens: Veri necesſarii perſpicax, errorum glaucomata facilè internoſcens: Falli non opportuna, fraudes dolosque mortalium nec neſciens, nec uſurpans: Præterita recordando, futura prævidendo, præſentia rectè ordinans. Conſilia & aptè invenire, & ſcitè tegere, & benè exequi ſagax. Non præceps in decidendo, ſed nec tempora agendi cunctatione amittens. Cauta cum ſecuritate potiùs, quàm felicia ex caſu eligens. Virium tam ſuarum, quàm alienarum juſta æſtimatrix: apta adeò ſibi, apta aliis demandare penſa ſciens: Nec nulli, nec omnibus, ſed perſpectiſſimis ferè tantùm fidens. Minimùm Fortunæ credula, & ejus ictus prævidere atqve exire gnara: Tempori, & foro ſerviens, qvantùm honeſtate integrâ licet. Ejus etiam memor, cum obliquo curſu contendit, quò recto non poteſt: Et cum inter contumaciæ abruptum, & deforme obſequium, media incedit.

De Pietate.

A Prudentiâ ad Pietatem imus, quæ & jure præcedere debuit, cum ea initium ſapientiæ jure appelletur. A DEO quippe ut omnia bona oriuntur, ita ordiri nos omnia decet. Eò reſpicere mens noſtra, ut ad principium, ut ad finem ſuum debet. Illum reverenter rimari, ac magis mirari, in magno primùm Naturæ libro oportet, ubi pulcher-

cherrimus rerum ordo artificem rectricemque manum monstrat: nec fortè, aut ex se coaluisse docet, quæ in tantâ discordiâ constant sibi. Sed tacitum magis hoc docendi genus est, quàm ut ab omnibus intelligatur. Quare loqui insuper mortalibus, atque etiam insinuare se Divinitas voluit, per Prophetas, divino Spiritu afflatos, voluntatem aperiens, tandem & per Filium Unigenam, cui quisquis verè adhæsit, Filius DEI & Candidatus fit æternitatis. Sed Fide opus est, quâ, quidqvid Christus promisit, docuit, credas firmiter, quicquid promeruit, amplectaris & in usum tuum vertas: Spe opus est, quâ gratiæ Divinæ, & Christi meritis innixus adversa & extrema omnia vincas, fiduciâ futuræ felicitatis. Caritate opus est, ut Optimum Maximumque Numen, super omnia adames, summæ ejus Majestatis non scrutator audax, sed devotus venerator. Ejus Gratiam, Christo duce, & sequestro, ambias omni caritatis obsequio, ejus gloriâ nihil habeas carius. Ei quicquid in te, vel circa te est, ei universum genus hominum cupias esse vectigale.

De Probitate.

EX Pietate probitas sponte sua fluit, ab eâ aut nullo, aut exiguo limite distincta. Ubi enim iratum DEUM pertimescere, ubi beneficum sincerè amare cœperis, fieri vix potest, quin caveas offendere, quem revereare, quem diligas; aut si in-

firmitate, præcipitantiâve offenderis, quin miſericordiam invoces. Poſt lapſus cautior, & adverſum peccati inſidias diligentiùs excubans: Tibi ipſi benè cupiens quidem, at haudquaquam fidens, multò minùs blandiens. Tùm verè triumphans, cum Te ipſum rectè amare, regere, vincere potuiſti: Inde aliis amandis, regendis, vincendis, verè demum idoneus. Prono ſemper animo facturus aliis, qvod Tibi ab aliis fieri velis, & æquè læſurus neminem, quàm lædi ab aliis nolis: Veniam verò dare peccantibus aliis facilior, quàm Tibi. Porrò ore nunquam, quàm animo melior, nec famæ magis, quàm conſcientiæ ſtudens, & ubi homines fallere posſis, teſtem tamen DEUM, & te ipſum timens. Nihil caducum tanti faciens, ut peccando redemptum cupias; nec vitam æſtimans, quam per dedecus, & irato vitæ autore atque imperatore trahas. Multò magis & reddere vitam illi implacato horrens, qui, ubi vitam repopoſcerit, vitæ porrò rationes poſtulaturus eſt.

De Temperantiâ.

PRobitatis ſpatioſa Arbor eſt; in multos ſe ramos diffundit. Quorum primus *Temperantia* eſt, circa vulgatas illecebras occupata Virtus; pericoloſas, quia ex parte neceſſarias: turpes ſæpè, quia ad belluarum ducunt confinium. Cœterùm duplex illa eſt, & prout materies variat, exinde nomen

men mutat. Cum alimentorum usum moderatur, *Sobrietas*; cum Veneris, *Castitas* vocatur. Illa victum homini præscribit, non corpori, non animo, non fortunæ ipsius gravem; fami sitique, non gulæ superbientis fastidio consulentem; robori ad labores tuendo recreandoque, non ventris saginæ servientem. Necessitati scil. quantum satis, honestæ voluptati exiguum quid, nihil dare docens Luxuriæ; bonas horas, & instrumenta virtutum, extra ipsas consumere timens; hominem sibi voraginem, gurgitemve, in quo sua & semet absorbeat, fieri prohibens. Inprimis *Ebrietati* inimica, magnæ vitiorum aliorum nutrici; periculosas mentis Eclipses, & noxia in corpore interregna invehenti; insidiosæ porrò illecebræ, & sub Hilaritatis, Humanitatisque vultu arrepenti; cùm tristes rixas, morbosque ducat, imò ex hominibus reddat belluas. Soror Sobrietatis CASTITAS est, Veneris illicitæ frænum, oculos, aures, manus, totum denique corpus & animum â vetitis voluptatibus abstinens; naturæ verò stimulos legitimi cancellis matrimonii includens; nonnunquam & ita edomans, ut perpetuæ Virginitatis Laurum assequatur, Laurum non in quovis solo, nec ferè nisi Heroicâ victoriâ inveniendam, tamen duce gratiâ divinâ non rarò inventam Christianis, quibus nihil insuperabibile esse voluit Cœlum.

De Sedulitate.

LAboris Otiique necessaria vitæ mortalium Vicissitudo est, quorum illo, nisi moderatus sit, atterimur, hoc mucescimus, quasi situ contracto. Inter utrumque tenet medium SEDULITAS, laboris nimii non amans, capitalis hostis inertiæ, vera aliarum Virtutum obstetrix, verè pretium omnis felicitatis: qvippe illo vendit omnia mortalibus cœlum, quos nimiâ facilitate corrumpere timet. Qvos & sui esse æmulos cupit, jugiter ipsum instare operi suo solitum. Uti autem virtus hæc actuosa semper, somni parca, avara temporis, larga sui est; ita aggredi cavet vana & quæ viribus, speive parùm responsura putet. Tam cassum effectu laborem nolens, quàm effectum labore indignum. Adhæc sua & certa agit, spartæ, quam nacta est, ornandæ intenta: de aliis vel alienis parùm solicita, nisi Caritas opem postulet, aut excuset curam. Rectè autem cæptis constanter insistit, laborem solans metæ intuitu. Omnia denique tempestivè & cum modo agit, ne sub onere fatiscat; æqua sui exactrix, & Ignaviæ, fœdissimo malo, sic inimica, ut non sit sibi.

De Magnanimitate & Modestiâ.

VIrtutis in terris splendidissima merces Honor est, sed à bonis & honoratis profectus. Res à DEO

DEO ipſo tanti habita, ut ab hominibus inter primas hanc poſcat. Et degener eſt, ſuique deſertor, qui honorem bonis artibus non quærit mereri: nec à contemtu vindicare ſe ſtudet; quem meretur, qui quà poteſt dignè, non fugit. Et ipſam profectò virtutem contemnit, qui hanc Virtututis Lauream contemnit. Cœterùm bonus animus, ut ab honore calcar petere amat, ita circa eum habenis eget. Quas MAGNANIMITAS adhibet, magnorum moderatrix honorum, ut minorum Modeſtia. Utraque de ſe rectis hominum bonorum judiciis gaudere docet, non inſoleſcere; inque veris bonis, vera faſtigia, viâ rectâ ſectari, vana omnia aſpernari, reſpuere indigna: laudes nec deprædicare ſuas, nec pruriente acceptare aure, minimè autem exigere: DEUM, præclare factorum Ducem, ſe miniſtrum credere, non magis acta, quàm agenda contemplari; non præeſſe potius, quàm prodeſſe conari, neminem unquam, minimè verò ſuſpicientes, deſpicere. Ut honorari mereatur, ardua prudenter, intrepideque aggredi ſolet, opes nec ſpernere, nec amare, ſed pulchrè impendere: non invidere, non temerè, potiùs tamen, iraſci, quàm odiſſe, gratiam verò & offenſam in aperto gerere; nihil vile loqui vel agere, comem eſſe erga omnes, ſed gravitate incorruptâ; calumnias parùm morari, & benè factis potius, quàm verborum certamine refellere: Ignominiâ, ut virtutis injuriâ, affici, ſic tamen, ut Conſcientiæ hilaritate ſe ſoletur.

tur. Denique rebus omnibus, ſecundis, adverſis, æquis, iniquis, majorem ſe oſtendere.

De Fortitudine & Conſtantiâ.

MOrtem, horribile per ſe malum, timere Natura, meditari Sapientia, non recuſare Fortitudo docet. Exinde cætera mala, dolores, pericula, ut morte minora, facilè perferuntur; ſed ea provocare, & temerè aggredi Audaces ſolent, nimii ſui contemptores, proſtituere robur animi, non impendere gnari, aliis rarò fructuoſi, in ſe crudeles. Verè *Fortes* obſequi cordatè, non levi impetu ocurrere amant Fato, probant pericula, ſed causâ probatâ; ponunt, cum opus, Vitam, non projiciunt, non ſangvine privari, ſed malè fuſo erubeſcere fugiunt. Viles ſibi ſunt, cum oſtendere res jubet, quam cara ſit ipſis Honeſtas. Extrema non reformidant, dum Juſtitiæ, dum gloriæ Divinæ velificantur. DEO, Parentibus, Patriæ cum ſe impendunt, reddere ſibi videntur, quod accepere: cum caritatibus domeſticis, tuendæ rei concreditæ inſiſtere & immori ſe exiſtimant: cum veritati, Religioni, & alienæ ſalutis ſpei; lætantur occaſione vitæ tàm pulchrè collocandæ. Quæ porrò alia vulgò timenda occurrunt, pro occaſione, & campo virtutis habent. Fortunæ ſe oppoſitos rati, ut genuinum in ipſis frangat, paupertate, exilio, carcere invicti, & cum ad cauſam reſpe-

respexêre, etiam gloriantes. Animo imperterriti, pleni fiduciæ, duris infracti, laborum tolerantes. Bello, grandi belluæ, non inhiantes, in illam delati, primùm cum ipsâ pugnant, ut reddant innocentem. In ipsâ Re nihil nisi inhonesta reformidant, laboribus, vulneribus, & ubi res exigit, nobili se offerentes letho: Vincere cum decore quærentes; cedere nescii, præterquam Juri, aut ineluctabili Necessitati. In victos æqui, & superatis omnibus, pulcherrimum cumulum adjicientes, Victoriam sui.

De Mansvetudine.

QUod bilis corpori; id Virtuti, præcipuè Fortitudini, Ira est; noxiis expellendis destinatus Ignis, sed & ipse, ut maximè noxius, sæpè restingvendus. Telum anceps, & valida manû regendum: cum ex alto erupit fastigio, verum fulmen. Quando modum excedit, brevis Insania jure dicta; utpote clavum homini, quo se, & alios regit, excutiens. In eâ cohibendâ Mansvetudo occupatur, cùm in Imperantibus est, Clementia dicta. Bilis edomandæ capistrum, ne faciliùs, aut vehementiùs, quàm par est, efferatur. Innocentibus irasci prohibens, & nocentium non malum, sed emendationem jubens expetere, moram dans iræ, sed ut discutiatur aut mitigetur, non ut acescat in odium; non amans memoriam, quæ recondere offensas sciat,

ſed obliviſci; injurias privatim non reponens, ſed alienæ potius cognitioni ſubjiciens; ad veniam dandam non difficilis, memor quippe, non raro & ſibi veniâ opus eſſe; ſua & publica damna, ſi fieri poteſt, ſine ullius noxâ amoliri optans; cùm puniri malefacta necesſe eſt, peccantis animum, & gravitatem peccati cum curâ introſpiciens, contumacibus, & exemplo nocituris ſevera, aliis placabilior, pœnam ſæpè differens, & pœnitentiâ contenta, malum verò patientibus nunquam inſultans, & neminem, etiam merentem, perire ſinens, niſi quem perire, vel ipſius, vel publicæ rei interſit.

De Juſtitiâ Univerſali.

JUſtitia ſplendidiſſimum ſidus, & cùm id toto orbe ſuo lucet, virtutum omnium compendium eſt. Venarenda Pacis & Felicitatis mater, Belli & noxæ omnis è vitâ expultrix, magna officiorum Magiſtra, ſocietatis humanæ Regina, averrunca injuriarum. Quæ ſuum cuique reddere docens, Fortitudini non invitæ campum, in quo ſe exerceat, præripit; normæ legum attenta & obſequens, rei authoritate non violandâ ſanctæ. Sive eam DEUS, ſive ectypus DEI Ratio, & hujus ductu vicaria DEI poteſtas ſcripſit. Cumque legum aliæ à Naturâ internis mentium; aliæ conſilio externis inſcriptæ ſint Tabulis; aliæ toti generi humano communes; aliæ

aliæ ſtatibus certis adaptatæ; aliæ denique publica jura, aliæ parentum in liberos, Herorum in ſervos aliaque ejusmodi officia complectantur; omnium illa obſervatrix eſt, & ſi vel alibi non extent, moribus ſuis impresſas oſtendit. Sponte faciens recta, & tramitis ſui, non minùs quàm ſydera ſunt, tenax. Ubi verò Leges tacent, vel non quadrant caſibus, ex Æquo & Bono rem moderatur. Non tam verba Legum ferro ſuo rigentia, ſed mentem inſpiciens Legislatorum; qui rerum varietatem, ultra legum præſcripta patentem, rectæ rationis & prudentis judicii ſceptro ſubjectam voluere; ſceptro beatiſſimo, niſi in manûs devenerit eorum, qui Juſtitiam artem faciunt.

De Juſtitiá Commutativâ & Diſtributiva.

UT natura homines arctiùs inter ſe vinciret, mutuæ opis fecit egentes. Ne tamen confunderet, res hominesque certis gradibus, & dignitatibus diſtinxit. Nec actiones hominum ita omiſit, quin bonis voluptatem, malis dolorem deſtinaverit pediſſequum. Indigentiæ mutuæ ſuccurri per contractus; Meritis præmia & pœnas contingere voluit. In illis regendis Juſtitia *Commutatrix*, in his *Diſtributrix* cernitur. Prior circa ementium, vendentium, mutuantium, locantium, conducentium, negotia occupatur: & ut rectè, hoc

hoc eſt, de conſenſu contrahentium, & æqualitate integrâ fiant, *dirigit*: aut ſi inæqualiter, & parte alterâ invitâ, vel deceptâ facta ſint, *corrigit*. Altera quæ DISTRIBUTRIX dicitur, meriti alieni candida æſtimatrix eſt. Nihil indignis ex gratia addens, nihil ex odio detrectans dignis. Virtutes in paribus ſine Invidiâ agnoſcens, ſine malignitate deprædicans. Honore ſeu beneficio ſuperioribus cultum, obſequium, grata officia præſtans. Dignitati cujusque ex merito aſſurgens, benefactorum minimè immemor, minime diſſimulans. Contra etiam, nec vitiis laudem, nec malè factis præmia largiens; publicis inprimis: nam privatim injuriis ſæpè non abnuit beneficium reponere. Verùm in vita civili factis mercedem exſtare, intereſſe virtutis, & humani generis cenſet, & mercedem quidem ex dignitate, tum facinoris, tum facientis admetitur. Cœca adverſum corrumpentes, in diſcriminandis, quæ differunt, oculata.

De Beneficentiâ & Liberalitate.

ALiis ſua reddere Juſtitia, dare noſtra Beneficentia docet; eò pulchrior Virtus, quò liberior; & quæ necesſitatem alienam, ſpontè ſuam facit. Pulcherrima, cum benefaciens, non gloriolam, aut lucellum, ſed honeſtum, & DEUM reſpicit; cum alacris eſt, & beneficium accipere ſe putat,

putat, ubi dedit. Consilio operâve juvare æquè facilis, atque lumen de lumine suo alteri accendere, domum suam, mensam, & omnia denique usui merentium sinens patere. Oculata nihilominùs, & beneficia non projiciens temeritate; sed regens judicio: dignisque adeò dans, & pro modo tum copiæ suæ, tum indigentiæ alienæ, egestati verò ita subveniens, ut & rogandi sæpè necessitatem, verecundiamve antevertat. Hilari vultu, manu citâ, sermone modesto duplicans gratiam. A beneficiis viscum removens, & data memoriæ accipientis delegans, suâ sæpè sinens effluere: non exprobrans, nisi insigniter ingratis, & gratos perseverentiâ dandi reddens. Latè porrò cum excurrat Beneficentia, & nempe per omnes necessitatis humanæ sinûs, maximè tamen opes, & nummos tractat, & nomine mutato, *Liberalitas* dicitur: quæ potissimùm largiri, sed ut sit, quod largiaris, parare etiam & custodire opes docet, cœlestem liberalitatem non respuens, sed gratâ manu ac mente acceptans, vi dolove, at non labore honesto fugiens ditescere, & rem quidem augere, sed sine anxietate suâ, sine querelâ, injuriâ, onere alieno studens; non petax, & in accipiendo religiosa, cuique obligetur, curiosè dispiciens. Parta verò non adamans, sed servans, ut vitæ, valetudini, & honestati necessaria, ut impedimenta, sine quibus nec Virtutum iter possit constare, ut ægritudini, ut senectuti tuæ & parentum, ut educationi liberorum, aliorumque egestati peroptata suffugia. Sed ani-

mum his addicere, & posſesſionum ſuarum mancipium fieri cavet; ita profuſionis Charybdim fugiens, ne in Scyllam Avaritiæ incidat. Quarum illa in largiendis, hæc in quærendis, ſervandisque opibus ſuperat modum. Illa fontes liberalitatis exhaurit, hæc claudit & corrumpit. Illa pauperes plerumque ex opulentis facit, hæc in mediis divitiis pauper eſt; utraque monſtrum deteſtabile, ſed illa opibus, hæc homini periculoſior eſt.

De Magnificentiâ.

ADhuc nomen mutat Beneficentia, & ubi ex magnâ fortunâ eluxit, *Magnificentia* vocatur. Nobiles maximè decens Virtus, & quos ſupra ſortem aliorum opes gentilitiæ provexêre. Divitias ita collocans, uti & ſplendeant, & ſplendorem concilient posſidenti; in ſumtibus faciendis, non necesſitati tantùm, ſed & honori indulgens: Nec tam amorem, quàm admirationem, nec necesſitudines, ſed clientelas parans. In res præcipuè ſacras larga, & cœlum æternitatemque quaſi obligare ſibi laborans. In artes quoque ſed generi humano inſigniter ſalutares, fautoribus multùm glorioſas, benefica. Non huic illive pauperi, ſed gregi pauperum, etiam futurorum, proſpiciens. Moles ſtruens publicas, & ſeræ poſteritati fulſuras, profuturasque. Dignitatis ubique retinens, cultu apparatuque non captans ſuperbo, non deſtruens tenui autoritatem, ſordibus vehemen-

hementer inimica, ſed nec oſtentationi, nec luxui indulgens; inſtrumenta Virtutis, non per inania, aut futilia abſumens, nec ſumptus illicitos faciens, moris causâ, ſed nec moris negligens, dum honeſto is non repugnet.

De Veracitate.

MEntis interpres Sermo eſt, humanæ ſocietatis magnus conciliator turbatorve; res parabilis, & in promptu exſtans, undè ad expenſam ejus plerique nimis faciles; ſed eadem irrevocabilis, tantoque adeò religioſiûs cuſtodienda mortalibus, quibus rerum plerarumque ratio rectius conſtaret, ſi ſermonis ratio conſtaret exactiùs. Eum duabus ſub Clavibus Virtus haberi voluit, *Veracitatis* & *Taciturnitatis*; ex quibus Veracitas ita promit ſermonem, ut mentis intimo ſenſui reſpondeat, nihil utique, cum verè ſuæ ſpontis eſt, affirmans promittenſve, quod tueri non velit, aut deſperet, ſervare ſe poſſe. Dictorum ita tenax, ut & injurata fidem plerumque inveniat, ſemper utique mereatur; non jurans niſi ſummâ neceſſitate, nec unquam mente injurâtâ. Si conſcientiam aliorum effugere & fucum facere hominibus queat, conſcientiam DEI & ſuam reformidans; ſenſus ſuos in fraudem alienam non obtegens, non implicans in ambiguum verba, candori addicta, & veri fiduciâ in periculum etiam non inglorium animoſa, non ſuſtinens mendacii;

nisi tale sit, quod DEUS ipse videatur probaturus: quale obstetricum Hebræarum, lingvam mendacio, nemini obfuturo, quàm manus insonti sangvine polluere malentium. Simulationis impensè fugiens, in dissimulando dans non nihil Prudentiæ; ne animum malè nudatum temerè alienæ objiciat libidini, ne veritatem etiam prostituat, nemini profuturam, nocituram nonnemini: ne præter rationem delicta sua vulget, ne præter summam necessitatem laudes suas prædicet; Sordentes ex ore proprio, nisi res omninò postulet, majori eas calumniæ putori opponere.

De Taciturnitate.

ALtera Lingvæ clavis est TACITURNITAS, magna tranquillitatis humanæ custos; non jam falsa tantùm arcere, sed & vera rectè promere ac condere docens virtus; frœnum sermonis; cujus nunquam prodigum, vix liberalem, plerumque tenacem esse expedit. Scutum Prudentiæ, adeò largum, ut stultitiæ etiam tegendæ sufficiat. (Verulam.) Noctis quasi beneficium consiliis rectiùs coquendis celandisve præstans, etiam quietem vitæ, cui nihil infestius est oris impotentiâ. Ut verò hæc cor in lingvâ, ita TACITURNITAS lingvam in corde gestare jubet, nunquam ad loquendum præceps, minimè coram iis, quos magis deceat loqui. Loquens quidem, sed tempestivè, sed loco & audientibus

entibus accommodata. Loquens, ſed ea, quæ non præſtet tacere, tacens, ſed cum non expedit loqui. Loquens, ſed modicè, & verbis nec parcis nimis defraudans, nec multis obruens audientem; Secreta non ſcrutans curiosè, commiſſa ſanctè & fideliter ſervans: Eâ parte nunquam ſecuriorem ſe credens, quàm cum credidit ferè nemini.

De Comitate & Humanitate.

HOminem homini quæ conciliat, & gratum reddit Virtus, *Humanitas* vocatur, cœterarum virtutum verè condimentum, permulcendæ mortalitati aptisſimum nectar: honeſta amoris illecebra; mentis, prout intus compoſita eſt, index & quaſi Hedera; ad populum maximè necesſaria, alia mentis bona vili pendentem, niſi in illâ exſplendeſcant. Ea eſt, quæ honeſtis jucunda miſcet, ſermonibus factisque noſtris velut Gratias addens comites; quantum integro DEI favore licet, hominum quorumvis ſtudens favori; ut placeat fructuoſiùs, nullum colorem, præter inhoneſtum, aſſumere renuens. Diſcrimen perſonarum obſervans, & cuiq; decentem cultum, potiùs tamen nimium, quàm parcum exhibens. Gravitatis retinens, ſed ita temperatè, nè amorem deminuat. Virtutes aliorum commendans, ut merentibus honorem, & ſtimulum addat merituris. Intempeſtivè laudare fugiens, nè putidum crimen Aſſentationis incurrat. Merentem

tem reprehensura, mollia fandi tempora, & verba minimùm offensura captat. Castigationem, ut Medicinam, nonnisi necessariam afferens, & quam consequens saltem fructus commendet. Libertate in alios non utens, nisi quam Amor imperet, aut excusare possit: Contentionum non amans, sensuum suorum non pertinax, non sugillatrix alienorum. Partes loquendi non sibi soli sumens, non aliorum interpellans sermones. Non maledica, & ut nihil cuiquam affingens adulando, ita nihil calumniando detrahens. Nec ferens calumniantes, ne pruriginem oris obliqui, patientiâ audiendi irritet: Omni tristitiæ felli in se & aliis adversa, & quà potest remedium ac malagma offerens. Mœstos consolans, dubios firmans, & omnes vitæ nostræ fuligines abstergere quærens.

De Urbanitate.

INter honestæ organa oblectationis, & curarum lenimenta, non ultima est Urbanitas. Ludibunda Virtus, risui sed & contemptui, ætati certè statuive non omni apta. Interdum veritatem, quò alioquin non perventura erat, deferens, & sales vitæ aspergens, noxium aliquid, & cruentum abstersuros. Sed illa, si quicquam, tempore maximè juvatur, tempore valet. Ne rebus gravibus interstrepat, ne inter seria nugetur. Et moderamine eget, ne offendat, quos quærit delectare: ut figat

acu-

aculeum, ſed dulcem; qui ſentiatur, ſed cum voluptate: ut floſculos ſpargat, ſed nativos, minimè autem fœtidi quicquam ſpirantes. Qui Veneri ſed caſtæ, qui Virginibus etiam Muſis probari posſint. Nimium risûs pretium ducens, qui probitatis pudorisve conſtet impendio. Moroſitati quidem adverſa, illi ex atris quaſi nubibus triſtia ſemper detonanti: ſed & ſcurrilitati inimica, decoctrici verecundiæ, lenæ libidinum.

De Morum Civilitate.

NOn eſt ſatis, animum ſermonemve ad honeſti normam habuiſſe compoſitum. Externa quoque in publico viventi perpolire oportet, & Virtuti bellam etiam veſtem circumdare. Animi habitaculum corpus eſt, & ex eo plerumque inter homines æſtimari habitator ſolet. Qui cultâ domo, multas ſubinde in receſſu ſordes, incultâ, multa intus ſplendida abſcondit; non habitura honorem, niſi à paucis prudentibus, qui pannoſæ etiam, & vel nudæ Virtuti aſſurgunt. Igitur habenda omninò corporis cura eſt, ſaltem ut ſervi, in quo coli aut deſpici Herus ſolet. Idque adeò luci publicæ, & oculis hominum, non illotum, impexumve objici debet. Abſit quidem in cultu cura nimis ſollicita, virilem & ſerium animum parùm decens: Vix fœminis permiſſa, quæ, jure quodam ſuo, corpori plùs quàm animo fidere ſolent. Sed abſit quo-

que negligentia, ne diſſolutioni videaris affinis, alia pari incuriâ transmiſſuræ. In veſtitu nihil luxui, aliquid conſvetudini, plurimùm gravitati detur; vitentur non novitate tantùm offenſura, ſed & antiquitate, quæ ipſa quoque inſolentiâ novitati par eſt: In motu corporis compoſita æquabilitas ſervetur, levitatis etiam umbra abſit. In ſenibus inprimis, & verenda negotia tractantibus, quibus pondere autoritatis opus eſt. in honoris ſignis liberales ſimus, ſed ea ne artem nimis, minimè verò fucum oleant. Geſticulatio removeatur à geſtibus, qui elegantiæ commodentur, non hiſtrioniæ. Affectatio procul ſit, adultera ingenuitatis, & animum majoribus dicandum minutiis occupans frangensque.

De Virtute Heroicâ.

ANimi lumen Virtus, luminis illius fulgor quidam inuſitatus Virtus Heroica eſt. Illa animo diem facit, pulſis quaſi vitiorum tenebris, hæc diei ipſi ſerenisſimum jubar addit. Illa bonos viros & honeſtos; hæc magnos,& amplius aliquid, quàm viros dicendos efficit. Unde & *Virtus divina*, quique eam aſſecuti ſunt, viri appellantur Divini. Qui non vitium jam, ſed virtutem ipſam, non ſortem vulgarem, ſed planè humanam ſuperant. Et ſi conſummati ſint, vix quicquam hominis in ſe habent, præter figuram & mortalitatem, Sed ea ipſa

Emi-

Eminentia Heroica, alto quidem ſemper, ſed non æquè lato attollitur faſtigio. Eſt ubi unius, alteriusve virtutis quaſi tenui acumine, in ſublime ſurgit. In aliis, ſacri inſtar Templi, multarum aut omnium Virtutum complexu, cœlo latè ſubtenditur. Sed & alio fulgore, hoc ſidus Heroicum inter gentes, alio in veri DEI cultoribus promicuit. In illis ſplendidisſima quæque Virtus generis humani felicitati, ſed terrenæ tantûm, ſerviit: In ferinâ hominum barbarie, noxiisque ſecuritati publicæ monſtris edomandis occupata. Quo in opere Theſei, & talium, præcipuè verò Herculis magnitudo enituit. In quem quicquid ubique magnificum eſt, antiquitas congesſit, Herois fingens ideam. Sed conflatis in unum multorum decoribus, vix niſi fortitudinem Heroicam efformavit: Illam in arduis aggrediundis, terroribusque mortalium ſub jugum mittendis ſpectatam: Cæterùm plurimis ſimul libidinum dedecorumque aliorum maculis deformem. Alii eorundem gentilium, diverſo Itinere, ſapientiâ ſcilicet, ad gloriam Heroicam evasêre. Artibus inventis, vitæ hominum ornandæ neceſſariis, aut mentem ſupra vulgi ſtudia evehentibus, promulgatis item Legibus, ſocietatis humanæ nervis, repagulis flagitiorum. Quarum rerum illis Æſculapius, Mercurius, Pythagoras, Socrates, his Minos, Solon, Zamolxis effloruêre. Æternæ claritudinis nomina, quorum aliqua, fortunæ majoris comes, adulatio & ſuperſtitio cœlo donavit. Græ-

ca maxi-

ca maximè antiquitas multos fecit celebravitque Heroas: Thebanos præ aliis Trojanosve bellatores, Colchicos item Argonautas prædicans, Poetis credula, &, his ſacerdotibus, plurimos hominum, religionibus etiam inſerens, colendos cultosque adeò ab æquè dignis, ſæpè & dignioribus coli. Idque non ſuos tantùm intra fines, ſed orbe penè toto, extra Populum DEI unius Cultorem. Qui ex Abrahamo ortus, DEI amico, vereque adeò viro divino, verè Heroe, Joſephos poſt, Moſeas, Joſuas, Gedeonas, Jephtas, Samſones, Samueles, Davides, Maccabæos tulit; viros cœlo plurimum imputantes, & qui DEI, quò ſimiliores, hoc mage famulos & organa ſe agnovere. Magna hi aggresſi, ſed ſub cœli ſignis; ſuo periculo; ſed ut divino honori conſulerent. Quorum virtutem, ſed majore & lumine illuſtratam, & roboratam inſtinctu, ſub novo fædere excepêre poſteri, Sangvinis ipſorum, & extra ſangvinem, fidei ejusdem hæredes. Illi ſcilicet, qui unico DEI filio, verisſimo DEO-Homini, patrum illorum magnæ ſpei, Generis humani Sequeſtro, Heroibus Angelisque ipſis adorando Regi, mancipati, auctoratique, emptas ſangvine ejus animas, & inhabitata DEO corpora ſua, ut templa, uni ipſi ſacra devotaque ſemper, denique & in victimas, promti obtulêre. Homines inter tormenta ridentes, poſt flagra læti, mortem in lucro deputantes, divino amore penitus æſtuantes, pro ſalute proximi quotidie venales; vera ſanctita-

tis

tis exempla, ſpecimina innocentiæ, veræ virtutis & felicitatis duces ac magiſtri. Malorum, bonorumque mundi comtemptores; cœli, etiam in terris cum degerent, inquilini. Veri heróes, veri fundatores rei Chriſtianæ, cui deſtruendæ certatim degeneres poſteri incumbimus.

De Origine, Cauſis & Effectis Virtutis Heroicæ

NOn fortè aut caſu, nec uſitato Naturæ arbitrio induſtriâque naſcuntur Heróes. Ut majores illi cæteris hominibus, ita ortui illorum vis ſe major humanâ interponit. DEUS, ſcilicet, qui alibi Naturæ multa permittens, horum natales curâ dignatur peculiari. Unde & naſcentes illos prodigia ſæpè vel comitantur vel antecedunt. Quosdam effœtæ, aut deſperatæ ſaltem ſterilitatis matres edidêre. Quorundam etiam ortum angeli; ut Samſonis, Baptiſtæ; quorundam oracula, ut Moſis, prædixêre. Cyrum naſciturum Aſtyages, Alexandrum M. & Caſtriotum matres, Platonem Socrates ſomnio præſensêre. Eidem Platoni nato apes ingeſſêre mel; Pico Mirandulæ flammeus Circulus Caput circumdedit. Nec minùs liquidum curæ cœleſtis argumentum præbet Ingenium, quo eminent Heroes. Non torpidum, nec tardum, ſed agilitate naturam imitans Cæleſtium, Capax magnorum, vulgarium aſpernans, ignavi Timoris, Suſpicionis,

Invi-

Invidiæ, doli omnis expers: clarescere per egregia cupidum, vinci ab aliis dolens, summis ubique honestissimo ardore imminens. Et id pueritia mox prodit, propior à stirpe, & fingendi nescia ætas: Ut in Themistocle, quem Pater magnum Patriæ vel bonum vel malum fore ominabatur: In Alexandro Reges collusores poscente, domante Bucephalum, Persarum Legatos ante pubertatis annos audiente; in Julio Cæsare, Syllæ multos Marios continere viso, & aliis multis, apparuit; in Hercule verò Serpentes elidente, in Ascanio apros Leonesque optante, figuratur à Poëtis. Etiam corpus plerumque eximium Heróes accipiunt, dignum illis metante Naturâ hospitium. Ut ex decore membrorum colligi possit, quantus illuc Spiritus intrarit habitator. Sic Heroibus suis Homerus, sic Æneæ Virgilius formam Diis similem tribuit. Sic Augustum, Trajanum, Theodosium, Carolumque Magnos, sic Castriotum rarum corporis temperamentum, & vigor Oculorum, honos Capitis, & dignitas oris, longè latèque principes ostentabant. Naturæ porrò muneribus, multùm etiam in Heroibus Educatio addit, udæ & molli sublimis ingenii ceræ nonnisi pulcherrimas Virtutum inprimens formas: non delicatâ in umbrâ corpus, non voluptatum saginâ animum exsolvens; sed severâ lege ad inediæ, vigiliarum, laborum patientiam durans: spontaneis juventam exercens lassansque operibus, quò necessariis pòst sufficiat. Ita Herculem crevisse tradunt, postquam

ex

ex bivio in viam Virtutis pedem intulit. Ita Achillem, quem ideò Chiron Leonum viſceribus,& ferarum medullis fingitur aluiſſe. Ita Alexander ſub Leonida adolevit, laborum, quibus ipſe inſveverat, ſevero exactore. Ita Caſtriotus Amurathi bellatori obſes datus, formidatus ipſi Amurathi bellator evaſit. Ita, ſi recentia non faſtidimus, Henrico Navarreo aſperè habita juventus ad merendum Magni nomen profuit. Plerumque autem, ſuper internos Naturæ inſtinctus & educationis invitamenta, ſapientiæ denique monitus, exemplis aliorum, quos Fama colit, ſtimulantur Heroês. Ita Macedonem, per Liberi Herculisque veſtigia ardor æmulandi egit. Ita Themiſtocli Miltiadis Trophæa ſomnum, Cæſari Macedonis victoriæ lachrymas excuſsêre. Nempè intus æſtro honoris pulſantur, quo altisſimos æquare cupiunt mortalium. Magnanimi ad grandia adſpirantes; ſine ambitione tamen, viis graſſante illaudatis, quærunt probari, ſed optimis; famæ, ſed non adulanti, cœlo inprimis, quod ſpirant anhelantque. A quo & afflantur, ſpiritibusque accenduntur planè æthereis. Ita ut DEO quaſi pleni, opera edant ore manuve mortali grandiora. Eodem accurante, magnis etiam occaſionibus ad ardua excitantur. Uti cùm à magnis & pernicioſis Erroribus, ſceleribusve, liberandum eſt humanum genus. Cùm DEI in terris agenda cauſa, cum honori ejus commodanda Lingva, manus, ſangvisve. Cùm magna orbis Imperia, à gente indignâ, in ali-

am

am transferre Numini lubet: Cùm ab Hostibus patria, cum oppressa Justitia à Tyrannide vindicanda est. Cùm Lerna confusionum Herculem, cum discordiæ publicæ Augustum postulant. Istiusmodi porrò opera adorientes, singulari & extraordinario prorsus feruntur impetu, Qui feliciter ipsos, aliis omnibus stupore attonitis, reddit audaces, similesque celeritate fulminibus, nullo obice euntes retardante; & difficultatum nodis omnibus, vel ultrò cedentibus, vel cedere coactis. Qvod si per longos laborum circuitus ad metam se vident duci, non deficiunt animo, non cedunt obstaculis, sed inardescunt, inter inimica omnia pleni fiduciæ, inter formidanda imperterriti. Eâ securitate Julius, periculum monstrante vectore, *Cæsarem*, inquit, *vehis*; eâ Alexander, Dario veniente, gaudet, quærendum non esse, quem vincat; eâ inter spicula Persarum Granicum tranat; eâ in oppidum hostile solus insilit; eâ David fundæ confidens, thoraces & gladios, nec minùs Gigantem contemnit; eâ idem inter specus latitans, & Saulo toties parcens, spem tamen regni servat; eâ Martyres inter fidiculas & ignes triumphant, & vicisse se clamant. Neque verò exitu optato spes Heroum, nec labores fine suo frustrantur. Non sinit cœlum organa gloriæ ipsius consecrata pudore suffundi. Cedit illis Improbitas tandem, viribus quantumlibet superbiat suis. Cedit quilibet causæ cælo probatæ hostis, quantumvis etiam insuperabilis visus: Cedunt concussi Orbis cardines,

nes, cum cedere hos, ipſius intereſt orbis; cedunt infeſta generi humano mala, cedunt publicæ peſtes mortalium. Subit felicitas ſeculorum, Heroas ut autores, ſæpè & ut victimas ſequens. Quos tùm bonorum, quæ DEO duce peperêre, exſortes, beatâ gloriæ æternitate cœlum ſolatur.

De Amicitiâ.

UT ad ignem ignis, ita ad Virtutem fertur rapiturque Virtus. Se illa legitimè adamat, ſe lubens fruitur, ipſa delicium, ferè &, ubi in ingratos incidit, ſtipendium ſui. Adamat ſe autem, ubicunque videt, omnes ipſam habentes amplectitur, ut ſe amplectatur. Inde Amicitia oritur, pulcherrimus Virtutis fructus, felicitatis in terris & cauſa & pars præcipua. Verus vitæ Sol, verum ſecundæ fortunæ ornamentum, adverſæ ſolatium. Omni ætati, omni hominum conditioni, magnoperè, & ferè non minùs Igne & aqua neceſſarium bonum. Sed ea non eosdem apud omnes perfectionis numeros habet, pluribus imperfecta contingit. Perfecta, rerum Divinarum humanarumque, ſummâ cum benevolentiâ, conſenſio eſt. Nempè in Divinis qui primùm conſpirant animi, eorum tantò ſanctius, firmiusque vinculum eſt. Deo quippe amicum neceſſe eſt credat, cui bonâ fide amicus eſſe vir bonus velit. Deo autem amicus eſt; qui verè credit & facere ſatagit, quæ credi fierive Deus

per

per Spiritum Sanctum & per interpretem sui Ecclesiam jussit. In cœteris aliqua ignorantia, aut simplex error Dei amicitiam non tollit, nec debet hominum. Conscius est optimus Opifex imbecillitatis humanæ, & quemque memorem decet esse suæ. Sed ab errantibus quoque dolus semper malus abesse, adesse in melius proficiendi studium debet. Virtutum cœterarum studium humanisne an divinis rebus accenseas, parùm refert: dum constet, ab illo pariter originem & alimentum suum, trahere amicitiarum verissimas: & adulterinas esse, quæ parario non coaluerint Honesto. Cui utile & jucundum adjungere licet, sed pro pedissequis. Quæ præviam sequentes Heram ornant, malo vulgi errore Heræ isti fiunt præviæ. Cœterùm amicum cùm paras, diu te ipsi, ipsum tibi antè præpara. Nec modicum de illo delibera, cum quo omnia mox deliberaturus sis, quî cùm pectoris tui intima & omnem propè fortunam communicaturus, cujus alloquio sollicitus, consilio dubius, conspectu ipso semper cum voluptate uti velis. Nec multos habe tales, ne amor velut in rivos divisum flumen, languescat. Cùm ingressus es Amicitiæ Cancellos, quicquid amico contingit, tibi puta contigisse. Desideriis ejus honestis ne adversare, sententias approba, vel fer, vel corrige, vel tempera: Officiis certa pro virium modo, nihil pro ipso recusa, nihil abnue, tibi vel ipsi non pudendum. In adversis præcipuè fac, ut tanquàm ab igne exsplendescat con-

stantia

ſtantia & fides amoris. Libenter coràm vel per literas colloquere, ut uſu coruſcet amicitia, etiam ex longinquo. In conſvetudine ſvavis eſto, in ſermone apertus, in ſecretis religiosè tenax. Non ſuſpicax, non diffidens, non dicta illius, non facta ſiniſtrè interpretans: non queribundus, criminatoribus verò amici adverſus potius quàm credulus. Lauda palàm, privatim admone, defende quantum licet; quàntum etiam potes, ubique nævos tege & tolera. Honore præveni, conſulentem audi, admonitiones liberas pro beneficio accipe. Denique in amore perſevera, nec abjice amicum, niſi is bonam mentem abjecerit. Et ſi cauſæ amoris ceſſent, diſſui tamen magis, quàm rumpi patere fœdus. Ne & amicum facilè perdas, & tanto acerbiorem poſt habeas inimicum.

De Decoro ſecundùm ingeniorum, ætatum, & vitæ diverſa genera.

HAbes virtutis colores, qvos ut plurimùm illa, & quovis vitæ in genere gerit. Reſtant officia, quæ aliis alia lex decori præſcribit: pro varietate nempè ingeniorum, ſexûs, ætatis, conditionis. Hæc enim omnia Virtuti ſingularia & adjumenta & obſtacula objiciunt. Ac primùm Ingenii cujusque impetus & inclinationes probè expendendæ ſunt. Ad quod enim bonum quodq; fertur, in hoc, niſi præpediatur, maximè proficiet: Velutque vento favente eò perveniet, quo alius adverſo, ægrè

vel nunquam. Sed naturæ temperies, ut alios aliô, ita per se ad mala magis, quàm bona quemque impellit. Certè vix unquam ita æquali mixturâ composita est, ut ad bona quævis pari stimulet impetu. Si bilis flava prætumeat, celerem ad consilia & actiones, sed tumultuosum quoque & ferocem; si pituita, tardum gravemque, sed simul incautum, & occasiones in occipite prehendentem; si nigra bilis, ingenio pariter & labore validum, sed morosum, odii properum, & tenacem: Si sangvis, hilarem, benignum, sed ad voluptates, quàm ad seria rerum proniorem faciet. Quisque igitur Temperamentum suum & noverit, & à vitiis sequestrare conetur. Eò melior futurus, quò illud à fæcibus suis liberius, & suscepto vitæ generi accommodatius habuerit. Jam Sexûs quoque disparitas, alia viris, alia fœminis munia imponit. Illos laboribus & periculis adeundis, dandis consiliis, habendis in publico sermonibus: Has custodiendæ, quàm parandæ rei, obsequio quàm regimini, verecundo silentio, quàm idoneæ ad publica orationi aptiores fecit. Quanquam Naturæ, seu errore, seu lusu producuntur interdum, quæ curis Virilibus viros superent. Ætatem si spectes, Juvenes affectibus fervidos calor, Audaces virium fiducia, incautos experientiæ defectus, societati inhiantes fuga tristitiæ, æris prodigos spes reparandi, in vitium cereos junctim hæc omnia reddunt. Senes contra, frigus ætatis cupiditatibus obtusiores, consiliis lentos &

cautos

cantos efficit. Suſpicaces quoque,diffidentes, frontis duræ, lingvæ ſolutæ,manus avaræ: Vitæ in ejus fundo timentes, & reſtanti vitæ modico multum viatici utplurimùm quærentes. Eò magis & juvenes,& ſenes,quò ætate ſuâ rapiantur, cogitare oportet. Ut & illi nimio calori frœnũ, & hi timidæ lentitudini,calcar addere memores ſint. Sed inprimis adoleſcentes cautè agere decet,quia in Vitæ quaſi ingreſſu ſunt: Inque eo flexu,ubi ſpes omnis reliquæ vitæ,vel exſurgere, vel ſuffocari poteſt, Sibi igitur nec parcant,nec blandiantur, alios recta monentes, rectèque præeuntes ſequantur. Parentibus & præceptoribus morigeri, quibus cum nihil non reddiderint, non redditum tamen æquivalens credant. Rectam Educationem aliis omnibus præferant bonis, caducis ſemper, plerumque etiam, niſi illa præceſſerit, magis nociturіs. Tandem Fortunæ etiam & conditionis diverſitas, variare in hominibus, genios & mores ſolet. Qvi genere eminent, dupliciter honorari quærunt, & in ſe avos proavosque ſimul coli. Meritò quidem, ſi æquè Virtutis, ac ſanguinis aviti, ſe oſtendant hæredes; nec in parietibus magis, quàm in animis, factisvè ſuis, gloriam majorum ſinant ſplendere. Sed heu nimis multi, clypeos avorum,non niſi ad ſordes vitiorum obtegendas gerunt. Ipſi ſtatuis gentilitiis, quibus ſuperbiunt, ſimiles; Majoribus, quos malè referunt, pudendi. Satis habentes, anteparto famæ incumbere, ſæpè & decoquendo illi nimiùm intenti. Alios faſtu, non Virtute præire, & premendo tantùm inferiores ſibi facere gnari. Quos æquant ſæpè eâ in re novi homines, opibus & potentiâ ſupra genus ſuum pollentes. Qvandoque & inſolentiores illi ſunt Nobilibus; meliùs his vi ingenitâ ferentibus fortunæ munera, quibus alteri, ut inſvetis, facile inebriantur. Plerumque immodeſti & jactabundi, & quò plus generi vel animo deeſt, hoc magis inanium oſtentatores. Haud minùs reliqua vitæ genera, diverſis vultibus, & qvaſi morum coloribus, ſpectanda ſe præbent. Aliter nempè moratos videmus ſacrorum præfectos, aliter ci-

vili in dignitate positos. Aliter artium & sapientiæ studia professos, aliter vulgaribus curis vitam tolerantes. Omnes suum habent campum peculiarem, in quo virtutis specimina dare possint. Omnes & lapides isthic inveniunt; ad quos pede offenso prolabi facilè sit. Beati, qui qualecunque obtigerit vitæ stadium, id ita decurrunt, ut pro brabéo alteram feliciorem consequantur.

F I N I S.

Admonitio Autoris
de hâc
QVARTA EDITIONE.

CHaracter iste olim aliâ formâ & in modum elogiorum editus fuit. Nec textu continuo procedebat ibi sermo, sed singulari linearum ordine singulos continebat sensus Et alia periodorum connexio, alia sententiarum distinctio ibi cernebatur. Lineæ singulæ â literâ majore, etsi pendente adhuc sensu & cum priori lineâ cohærente, inchoabantur. Idem in tertiá editione, procul ab Autore, ad Salam fl. institutâ, servavit Typographus, qvamvis continuum sermonem fecerit, ubi in primâ editione lineis, prout elogia distingvi solent, variegatum repererat. Unde periodos aliquando informes reperiet Lector; qui hoc quicquid est imperfectionis, absentiæ, non imperitiæ Autoris imputabit. Editio qvarta aliquatenus corrigit, quod ibi peccatum est. Hoc quoque volo, ut scias, Lector, multa in hoc libello petita esse ex Platone, Aristotele, Cicerone, Senecâ, Plinio secundo, Verulamio & aliis. Quod addo, ne dissimulare me putes, per quos profecerim.

Vale.

STELLA AUREA

SEU

FAX VIRTUTIS

EX

Naturâ Stellarum accenſa.

DANTISCI,
Typis DAVID-FRIDERICI RHETII.

VETUS DEDICATIO.

Prælustribus & summæ Spei Juvenibus

VLADISLAO CASIMIRO

ET

JOANNI RAPHAELI

GULDENSTERNIIS,

LL. BB. de Lundholm & Vogelvick,

Illustrissimi

SIGISMUNDI GULDENSTERNII,

L. B. CASTELLANI GEDANENSIS, PRÆFECTI STUMENSIS, REGII OECONOMIÆ MARIÆBURGENSIS ADMINISTRATORIS &c. FILIIS.

Sal.

GRandes & amplæ admodum sunt Virtutes, Generosissimi Adolescentes, quibus Illustrissimus Parens vester antiquo summorum natalium suorum respondet splendori, ve-

ſtrisq́ ſimul ad eximia omnia conatibus, clariſſimæ facis inſtar, prælucet. Eas equidem nec ætas âdhuc veſtra capere rectè, nec dignè exprimere, niſi meditatisſima exercitatæ eloquentiæ oratio poteſt. Atq́ idem cæteris dotibus ſuis admirabilem junxit modeſtiam, per quam ſuis ipſe laudibus intercedit, nec celebrari decora ſua patitur, rectè factorum conſcientiâ contentus, oſtentationi contra ita inimicus, ut nec ſpeciem ejus ullam ferre queat. Sed præclara ejus merita omni bonorum conſenſu æſtimantur: quantique ea ipſe SERENISSIMUS REX, DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS faciat, intimâ jamdudum gratiâ, nunc verò longè ſplendidisſimo teſtimonio oſtendit, dum illuſtri Caſtellani Gedanenſis dignitate, ultrò & nihil quicquam ejusmodi ambientem, magnificè honorandum duxit. Sed hîc unum ex multis laudum ornamentis, etſi non ab omnibus pariter, â Sapientiæ tamen Candidatis magni æſtimari ſolitum nominare, pace ipſius liceat, in literas & literatos propenſiſſimum affectum. Quem ab ipſis teneræ ætatis tyrociniis tantum ſemper oſtendit, ut etſi aliis ſubinde â fortunâ captaretur lenociniis, nullum tamen ſuavius, nullum frequentius unquam com-

mercium, quàm cum Sapientiæ studiis, habuerit. Hæc domi adolescens, hæc peregrè juvenis, hæc vir pariter, inter ipsos etiam Aulæ Militiæq;, in quâ utrâque diu versatus est, strepitûs, non neglexit. Atq; ut idem, quæ singulæ Nationes doctrinarum arcana habent, rectius perciperet, omnium penè, quas Europa novit, linguarum notitiam singulari sibi industriâ comparavit. Porrò sapientiæ Doctoribus quantùm semper honorem habuit? Nec iis tantùm, quorum magisterio cultum animi sui debet. Nam istorum sanè eruditionem & merita gratissimâ semper memoriâ prosequitur: aliquorum etiam gloriæ ita favens, ut, ipsos laudando, sibi quodammodo delicias facere videatur. Quod ipse toties præsens comperi, cum doctum inprimis Virum Matth. Berneggerum, Profess. olim Argentinensem, occasio aliqua sermoni inseruit. Possem alios quoq; nominare, quos ob solam pariter eruditionem, non plurimùm tantùm æstimat; sed interiore etiam amicitiâ dignatur. Possem inter cæteros me quoque apponere, qui, ex quo inter Regiæ inaugurationis sollennia, Cracoviæ Anno 1649 celebrata, ipsi innotui, beneficum ejusdem patrocinium perpetuò inde (quod præfiscinè dixerim) expertus sum.

sum. Ille Regiæ mihi gratiæ primus conciliator, ille apud alios haud paucos Regni Magnates, benevolentiæ pararius fuit: Ille privatim, inter adversa æquè ac prospera sua, multis luculentissimis pignoribus singularem mihi testatus est favorem.

Cui benignitati quid debeam, jamdudum quidem cum curâ expendo, quid retribuam, haud invenio. Nam nec Musæ meæ, etsi suo isti Mæcænati supra spem & meritum suum placuêre hactenus, quicquam tantis beneficiis dignum rependere possunt. Ut tamen, quæ æquare vix unquàm licebit, agnoscere saltem videar merita, animum ab illo ad Vos deflecto, quod & proclivius esse sentiam, ætatem vestram, quæ magna nondum fert, nec postulat, mustaceo aliquo devincire, nec ineptum tamen sit, parentum magnitudinem in sobole suâ, velut parte & imagine nativâ, venerari. Prætereà autem nihil gratius vobis vel utilius offerre me posse arbitror, quàm Virtutis hortamina & ad dignam Nominis ac generis vestri splendore gloriam invitamenta. Non quòd deesse ea vobis credam, quos domi vivæ vocis efficacissima undiq; circumsonant præcepta, quos etiam citra hæc, stimulis arcanis

Et Pater Æneas & Avunculus excitat Hector.

Sed quia Italium copia apud erectissimos etiam quosq; animos nunquam potest esse nimia: ac porrò efficaciùs penetrant, quæ ab alio atq; alio, modis diversis proposita, speciem habent novitatis, etsi idem cuncta ingeminent. Neq; mihi injucundum est, ad ejusmodi Studiorum juvenilium quasi crepundia, vestri causâ, redire: quia sic me sentio aliarum occupationum severitatem pulcherrimè identidem diluere. Porrò cùm in Palæstrâ Nobilium aliqua NATURALIS REIPUBLICÆ lineamenta ducere cœperim, non sine spe & voto, quòd ibi orsus essem, pertexendi: Operis ejus alterum jam specimen in STELLARUM NATURA eò lubentius edo, quòd in eâdem Nominis simul vestri fulgor nitescit. Censeant Cassii, quantùm voluerint, lætiores has Operas: mihi vestrum & commodum & decus honesto conatu successuq; provehenti, nunquam vel consilii ratio, vel laboris fructus displicebit. Valete, Generosissimi Adolescentes, & tum mihi, tum propter me, filio meo, qui Illust. Parentum vest. indultu, sub eodem jam vobiscum ungue, primum in studiis vultum ducit, porrò favere pergite. Dab. Ged. IV. Cal. Octob. Anno 1656.

JOACH. PASTORIUS,
Secret. & Hist. R.

STELLA AUREA.

CAPUT I.

In quo Præloquium de Nominibus ominosis faustisq;.

SOcrates, magnum illud humanæ ſapientiæ oraculnm, Virtutis incrementa adeò undique & quærebat ipſe,& ab aliis qværenda judicabat, ut nec ſpeculum intueri juvenes vellet, quin meliores inde redderentur. Si enim illo indice formoſos ſe cognoviſſent, dandam eſſe operam ſvadebat, ne ſpecie liberali, beneficio naturæ non contemnendo,ſeſe oſtenderent indignos. Sin diſpliceret forma,eniti volebat unumquemque, ut quod corpori deeſſet; anîmi dotibus penſaretur. Quem à ſpeculo ſtimulum præclarus ille morum formator capi volebat, eum ego tanto majori jure à Nomine capi poſſe ac debere exiſtimo; quanto ad id audiendum expendendumve, qvàm ad ſpeculum conſulendum; crebrior datur occaſio. Iſtud vix ferè inſpicere ſolent, niſi qui pluſculùm curæ & temporis corporis cultui impendunt. Nomen ſuum nemo non aut inſcribit identidem literis libriſve, aut ab aliis ingeminari audit. Tum ſi ſpecioſum illud videatur, eò elaborandum eſt, ut mores noſtri & facta pulchro congruant titulo: ſi ſecus, ut,quicquid in nomine diſpliceat, virtutibus emendemus. Profanarum gentium circa nominum & impoſitio-

 nes

nes & explicationes ſuperſtitioſam ſolicitudinem, ut non ignoramus, ita & cavendam cenſemus: At interim non omnia etiam nomina ſusque deque habita, vel habenda esſe, ex ipſis quoque ſacris intelligimus oraculis. Proavorum noſtrorum temporibus Galeotus Martius, Vir eximius, Matthiæ Corvini Bibliothecarius, libellum ſcripſit, de doctrina promiſcua, cujus primo capite nihil aliud docetur, quàm propria hominum nomina ab aſtris imponi. Atque iſtic magnis illis tum Sapientiæ atquè artium Dictatoribus, Ariſtoteli, Galeno, Hippocrati, tum Reip. Rom. luminibus, Camillo, Scipioni, Cæſari, Pompejo, Tullio, non ſine auſpice cœlo, & adgubernantibus fatis, nomina iſta contigiſſe oſtendit, quia illa alioquin virtutibus factisque eorum Virorum non fuisſent tam belle reſponſura. Quæ viri doctisſimi ſententia an omni ex parte vera ſit, nolo ego nunc penſiculatiùs examinare. In multis ſanè magnam ea habet veri ſpeciem. Nec ab illâ Auſonius abludit, qui nomina ominoſa à mente divinâ, hoc eſt futurorum præſciâ, dari innuit, cum ait:

Qui primus Meroe nomen tibi contulit, ille
Theſidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam divinare eſt nomen componere, quod ſit
Fortunæ, morum, vel necis indicium.

Et fuisſe apud Romanos fauſta aliqua, alia infauſta nomina, ſatis ex Tacito apparet: qui ad reficiendum Capitolium adhibitos ait milites, quibus *fauſta nomina.* Apparet idem ex Feſto, qui aſſerit in Dele-

ctu

ctu censuve, ominis boni gratia, primos nominatos *Valerios, Salvios, Statorios.* Quod idem adductis ex Cicerone, Plinio, Plauto, locis uberius Lipsius demonstrat in notis ad Tacitum. Fausta autem nomina haud dubiè appellabantur, quæ aliquid boni significare ac portendere viderentur. Uti Valerii nomen à Valendo, Salvii â Salute, Statorii à Jove Statore ductum nihil non fausti credebatur ominari; quemadmodum contra Lentuli, Bibuli & similia nomina inter læva & improspera habebantur.

Vestrum, Generosissimi Adolescentês, nomen Gentilitium jure meritò inter faustissima censuerimus. Duabus enim ex rebus præstantissimis conflatum est, quarum altera in cœlo, altera in terris fulgidissimè splendet. Quid enim æther post DEUM & cœlestes spiritûs, STELLA pulchrius, quid AURO nitidius terra continet? Tanto magis gaudere Vos tali appellatione, tantò etiam acriùs stimulari illâ ad virtutem & res egregias oportet. Cogitate, ad vos quoque pertinere, quod Cassiodorus lib. VIII. ep. 18. Amico scribit: *Sumpsisti nomen ex meritis. Custodi, ut semper læteris veritate vocabuli. Nam cum omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est, portare nomen alienum, & aliud dici, quàm possit in moribus inveniri.* Sed ut, quæ in nomine seu omina virtutis seu incitamenta latent, eó meliùs percipiatis; age ea, quia nunc vacat, paulò diligentius evolvam, nihil aliud quàm vestrum in honesti & gloriæ orbitâ profectum quærens. Quod ideò præmo-

neo, ut iniquos ſe fore ſciant, ſi qui veſtræ Domûs, decora, in Stellæ luminibus hîc lucentia, invido oculo; ſi qui etiam me, aſſentationis, fœdisſimi vitii, & à quo indoles etiam mea me eximium eſſe voluit, ſuſpicione perſtringere voluerint.

CAPUT II.

Stellæ nomen rebus divinisſimis & præſtantisſimis datum.

MUltùm jure meritò ſtimulare vos, Generoſisſimi Adoleſcentes, Sideris gentilitium nomen vel ideò debet, quia id non tantùm per ſe corpus fulgidisſimum, cœleſte, adeoque apprimè nobile ſignificat, verùm etiam, quia ad res alias grandes & præclaras ſignificandas transferri atque adhiberi ſolet. Prorſus ùt, quoties aliquid eximium & magnificum dicere volumus, ei ſideris vocabulum plerumque aptare gaudemus. Neque facilè majus encomium cuiquam tribui poſſe putamus, quàm ubi eum ſeu gentis ſuæ, ſeu artis *Sidus* appellaverimus. Sed & in ſacris nomen iſtud maximis quibusqve rebus videmus accommodari. In Apocalypſi Joannis quando ſummam & dignitatem & beatitudinem ejus, qui conſtanter in ſanctisſimâ fidei profesſione perſeveraverit, magnifice exprimere cupit Servator, *dabo*, inquit, *illi ſtellam matutinam.* Id eſt, dabo illi, ut ſtellæ matutinæ inſtar luceat. Eodem ſtellæ nomine ſeptem Epiſcopi in Apocolypſ. (c. I. v. 1. & III. 1.) & poſtea ipſi etiam Apoſtoli ſignantur. Angeli porrò ſtellæ matutinæ vocantur

à Jo-

à Jobo cap. XXXVIII. 7. Sed denique ipſe Rex & Dominus Angelorum Chriſtus JEſus idem tulit nomen. Nam & ſtellam matutinam ſemet ipſè vocat in eâdem ante laudatâ Joannis revelatione, cap. XXII. 16. & per ſtellam de Jacob, de qva Bileamus vaticinatur, Num. XXIV. 17. neminem alium potius, quàm expectatum illud ſemen Abrahæ, ſidus gentium, mundi Servatorem intelligendum conſtat. Etſi enim ad Davidem quoque, Chriſti patrem & Typum, idem Bileami vaticinium pertinere posſit, ſenſu tamen pleniori auguſtiorique referri debet ad illum, qui idem & filius Davidis & Dominus eſt.

CAPUT III.

Magnis viris Stellarum nomen, eruditionis quoq; & ſapientiæ reſpectu, tributum.

MUlta ſunt decora atque ornamenta, quibus eniteſcere Virtus humana poteſt, nec uno modo ad celebritatem Viri egregii ſolent eniti. Alios facinora Martia nobilitant, alii ſapientiæ ſtudiis, alii aliis modis inclareſcunt. Neque verò, quæ vita melior ſit, aut facilius altiusve provehat homines, diſputare jam volo, cum ea res non æqua omnium judicia experiatur. Et video, nullam viam eſſe tam felicem, ut omnes, qui eam ingreſſi fuerint, perveniant ad culmen, quod ſpe votoque occupaverint. Mihi illud jam tantùm innuere lubet, Siderum nomen non Viris tantùm tributum eſſe, qui aliis fortioribus modis, etſi forſan plus ſplendoris habere viſis, emerſerint. Sed in titulo iſto dando plerumque

que etiam doctrinæ & ſapientiæ habitam rationem. Si illos, quos paulò ante adduximus, penitius intueamur, prope omnes ſtellarum appellationem ob ſapientiam posſedêre. Et cum Servator noſter ſidera de cœlo lapſura ait, virorum eruditorum plurimi de ſapientiæ Divinæ Doctoribus ſermonem eſſe arbitrantur. Daniel certè eos, qui ſapientiam alios docuerint, veluti ſtellas cœli vaticinatur fulſuros. Et nempe iſto tam illuſtri honore non alii potius digni â DEO habiti ſunt, quàm qui doctrinæ cœleſtis facem hominibus cæteris alluxerint. Sed ſi alios quoque celeberrimos viros conſideres, eorum plurimi clarum, quod posſident, nomen ſolâ ſcientiarum & artium excellentiâ ſibi peperêre. Quod de Platone, Ariſtotele, aliisque omnium ſeculorum viris eruditione præſtantibus conſtat. Sed & in cæteris magis ſplendidis vitæ generibus, ipſisq; honorum ſummis faſtigiis quò magis quisq; inclaruit, hoc idem plus plerumque hauſit de ſtudiis. Inſpice magnos illos Orbis domitores. Alexandrum, Julium Cæſarem, Carolum Magnum. Omnes ſanè bonarum artium diſciplinis non tincti tantùm, ſed penitus imbuti fuêre. Et forſan res tam magnas & præclaras non gesſiſſent unquam in orbe terrarum, niſi ab artibus honeſtis & ſtimulum egregium, & adjumentum inſigne habuiſſent. Auguſtum Imperatorem pariter eloquentiam & liberalia ſtudia ab ætate prima cupidè & laborioſisſimè exercuiſſe, ait Svetonius. Quæ res ei haud dubiè

dubiè multum poſtea profuit, cum novum Imperii jugum inſvetis Romanorum cervicibus, blandisſimâ manu, & penè non ſentientibus imponeret. Roberto & poſt illum Alphonſo, Regibus clarisſimis penè ſupra Regnum æſtimatæ fuêre literæ. In ſummo certè apud illum honore Petrarcha & Bocatius, apud hunc Valla, Panormita, Trapezuntius, Jovianus Pontanus fuêre. Quanto Politianus in pretio habitus ſit â Laurentio Medice, quanto à Franciſco I. Budæus, Robertus Stephanus aliique id genus, non eſt opus commemorare, quia res hæc nimis jam nota eſt. Joannes Dantiſcus vir obſcuræ originis, eruditione ſuâ magnam ſibi gratiam apud Sigismundum I. Poloniæ Regem, nec non apud Carolum V. Imperatorem comparavit. Ab illo certè Inſulâ Varmienſi ornatus, & ad intima conſilia ac legationes adhibitus eſt. Hic verò adeò dilexit hominem, ut cùm abdicato imperio omnes Principum legatos dimiſiſſet, ſolum Dantiſcum in Hiſpaniam ſecum duxerit. Unde eum tandem, cum aliis omnibus benevolentiæ ac honoris officiis cumulatum, tùm Hiſpanicæ etiam Nobilitatis inſignibus, quæ rarisſimè externis conferri ſolent, dotatum dimiſit. Sed minus fortè vulgatum, tantòque adeò dignius relatu eſt, quod ex antiquo autore Pauſaniâ refert Muretus in variis lectionibus. PAUSANIAS, inquit, *in Atticis narrat, Athenienſes, quòd à Pindaro in Aſmate laudati eſſent, tanti feciſſe ampli illius ac grandiloqui Poetæ teſtimonium, ut & dona ei*

ob id

ob id plurima miserint, & statuam in Civitate suâ statuerint. Non igitur mirum est, si illis temporibus multi ac præstantes Poetæ fuere, cum, qui eâ facultate excellebant, & maximis muneribus honestarentur, & honoribus amplissimis mactarentur.

CAPUT IV.

Stellis antiquitùs summus honor habitus.

MAgna semper Mortalium circa cœlum & sidera solicitudo fuit; Naturâ ipsâ excitatissimum quemque animum ad suspicienda, quæ suprà nos sunt, stimulante. Et nonnullorum quidem intra debitos fines cura stetit: ita ut gloriæ Conditoris cederet, quantumcunque in contemplatione cœlestium laboraretur. Quales speculatores inter primos recentis mundi incolas, Sethi fuêre posteri: antequam nimir. gliscente cæterorum superstitione, corrumperentur. Nam mox ab initio profanâ quorundam temeritate rapta in transuersum est siderum contemplatio, & majoribus augmentis abusus ejus, quam verior usus, crevit; ita ut plurimi mortales non eò, quò par erat, proveherentur contemplando, sed in sideribus ipsis, quasi ultimâ metâ, figerent obtutum; honoremq; tandem, quem stellarum & rerum omnium Autori deberent, stellis deferrent. Moti haud dubiè (ut alias jam taceam causas) efficaciâ ingente, quam haberent cœlestia illa corpora in res inferiores, Sol inprimis & Luna, cujus utriusque vim bene-

ficam

ficam quolibet momento terra & ejus habitatores omnes experirentur. Miſcuit ſe ſuperſtitioſo ſiderum cultui alia erga principes viros adulatio, ita ut in ſideribus ſe adorare arbitrarentur, quos ipſi credulâ fide, aut impudente mendacio ſideribus inſeruiſſent. Nihil enim uſitatius erat, quàm ut, quos in terris Viros virtute inſignes, aut imperio potentes, præ aliis coluiſſent, poſteà in Deos referrent, & Divino honore proſequerentur. Ita ut verè à Manilio dictum ſit:

Terraq; compoſuit cœlum, quæ pendet ab illo.

Inter alios ipſi quoque rerum cœleſtium ſpeculatores id curæ & laboris ſui pretium tulêre, ut inter Numina colerentur, poſtquàm mortalitatem exuîſſent. Nam & Saturnum & Jovem & Hyperionem & Mercurium, Herculem porrò & Bellerophontem, aliosque ejusmodi plures cœli primùm ſpeculatores, poſteà opinione gentium poſſeſſores, quosdam & Rectores factos, viri antiquitatis periti aſſerunt, atque inter eos Cl. Gaſſendus in præfatione ſuper Tychonis Brahei vitam. Sed abierit ſanè & longisſimè quidem ultra fines legitimos tum aſtrorum ſuperſtitioſa inſpectio, tùm Virorum virtute eminentium reverentia, quippe in DEUM, Aſtrorum & Virtutis autorem, injuria. At non ideò tamen homines aut omnem ſiderum curam jure abjecerint, aut magnorum Virorum Virtutem honoris reliquerint expertem, ac velut incuriâ transmiſerint. Auferatur, quod modum legi-

legitimum excesſit, quod juſtum & æquum eſt, ſervemus. Meretur Virtus coli, nec major injuſtitia committi poteſt, quam ubi illa non agnoſcitur æſtimaturve, uti oportet. Nam etſi

Ipſa quidem Virtus ſibimet pulcherrima merces;

etſi etiam, quod Horatius ait:

Repulſæ neſcia ſordida
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ;

haud tamen permittere debent mortales, ut ipſa illa domeſtico tantùm Theatro plaudat ſibi, aut publico generis humani bono, ſuo militet ſtipendio. Infamia ſeculi eſt, cùm Viris præclaris ſuus non datur honor, cùm pulchra & ſalutaria egiſſe, non prodeſt, cum Vatiniis poſthabentur Catones, cùm patriâ Rutilii, cùm Scipiones exulant. Quòd ſi quæ autem Virtus in tam infauſta tempora incidit, non ideò illa ſuum amittit pretium. Quin tantò major ejus æſtimatio in animis omnium bonorum erit, & ipſius famam negatus intendet honor. Sed nec deerunt qui vel in tenebris latentem publico gloriæ theatro ſiſtant: & ubi etiam ex oculis ſublata ea fuerit, tantò & ardentius quæretur, & æſtimabitur candidius. Tandem denique, ſi memoriâ fortè ac lingvis hominum exciderit, in fide annalium vireſcet, unde illam

— — — — nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

CAPUT

CAPUT V.

Stella pars & ornamentum Cœli eſt.

DE Stellarum naturâ alii aliter, nec eodem modo veteres, quo noſtri ævi autores philoſophantur. Quorum omnium ſententias examinare non eſt inſtituti mei, nec temporis, referre. Cœleſtia corpora eſſe, omnes conſentiunt. Stoici easdem Jovis dixere partes, teſte Auguſtino de Civit. DEi lib. 4. cap. 11. Quod equidem inter prima inſanientis ſapientiæ capita referri dignum ſit, niſi explicatione juvetur, ut nempe per Jovem æther ſtellæque adeo ætheris partes eſſe intelligantur. Pariter benignum interpretem requirunt iidem de Stoa magiſtri, cum ſtellas vocant corpora divina ex æthere compoſita. Quicquid ſit, nobilisſimæ & à DEO ipſo inhabitatæ ſubſtantiæ, cœli nempe, pars nobilisſima ſtella eſt, vel ob lucis ſplendorem, quo alias cœli partes longisſimè ſuperat. Videamus jam, quid cum ſtellis hâc in re viri magni & in Republ. illuſtres habeant commune. Illæ ejusdem aut ſaltem cognatæ naturæ ſunt cum cœlo; pariter iſti nobilisſimi generis eſſe ſolent ut plurimùm, nonnunquam & Joves ipſos, h. e. ſupremos Principes affinitate ſangvinis contingunt. Id quod de pluribus equidem clarum facere in proclivi foret, ſi vel neceſſarium id eſſe crederem, vel copiæ magis quam brevitati ſtuderem. Sufficiet mihi veſtram, Generoſiſſimi Adoleſcentes, obiter hic gentem attingere; quæ uti antiquiſſima, ita Regio ſangvini non

uno modo innexa eſt. Originem illa primùm ex Daniâ traxit, in quâ multis retrò ſeculis ampliſſimè floruit, ſicut iſtic Guldenſternios, ſupremis Regni muneribus honoratos legamus. Inter alios Ericus Nili filius Regni Mareſchalcus fuit. Nec poſterioribus temporibus exolevit ibidem familiæ decus. Nam Tychonis Brahe, nobilisſimi Aſtronomi ævo, Axillus, (vel, ut alii. Axelius) Guldenſternius Norvegiæ Prorex fuit, cujus mentionem in vita Tychonis facit præclarus Mathematicus Petrus Gaſſendus. Primus è Daniâ in Sueciam nomen iſtud Ericus Guldenſternius intulit; cujus viri eximias virtutes vel inde æſtimare licet, quod Caroli VIII. Suecorum Regis, principis virtute, quàm fortunâ majoris, Gener. & juxta Vicarius eſſe meruit. Regni enim Archi Dapifer (vulgo Trotzet) fuit, quæ dignitas uni Regiæ ibi ſecunda eſt. Ejus Erici ex Chriſtina Caroli VIII. genitâ filii & nepotes inter Regni patrii ſenatores locum habuêre, pronepotes ultra progreſſi. Nam unus eorum Georgius Regni Architalaſſus, alter Nicolaus triumRegumCancellarius, & tandem pariter Archidapifer, adeoque Regni Primas fuit. Familiæ porrô Regiæ eundem novo vinculo Uxor Ebba Bielkia illigavit, ſororGunillœ, quæ poſtrema Sereniſſimi Joannis Svecorum Regis conjux fuit. Ex Bielkiâ Nicolaus filios tres, & in iis Avum veſtrum Joannem progenuit. Qui ſua & Majorum virtute illuſtris novum decus genti ſuæ intulit, ductâ in matrimonium Sigfridi, Petri

Brah

Brahei Comitis in Visingsburg, Regni Sveciæ Mareschalci filiâ, fœminâ eximiis ornamentis illustri.

Matrem ea habuit Beatam â Stenbock, sororem Catharinæ, quæ Gustavi I. Regis Sveciæ tertia Conjux fuit. Avia eidem Sigfridi contigerat Margareta, Regii itidem sangvinis, quippe Gustavi Soror. Tot tantisque vinculis regnatrici Domui aliisque præcipuis innexus Avus vester, vir suâ insuper indole haud spernendus, ad summa haud dubiè in Patriâ emergere potuisset, nisi Sigismundi Regis partes amplexus, eundemque in Poloniam cum binis fratribus secutus esset. Multùm illi tali affectûs sui fideique constantiâ Serenissimorum Principum ac Regum nostrorum domum devinxêre; unde & horum constantem vicissim erga se benevolentiam experti sunt. Aviam utique vestram, genere Braheam, Serenissima Princeps Sveciæ, Anna, Sigismundi Regis soror, singulari prorsus amore complexa est. Idemque; affectus post Braheæ istius fata (neque enim illa extra Patriam diu superstes mansit) in sobolem derivatus, non permisit huic vel orbitatis vel exilii mala sentire. Nam filios, in quibus Parens vester erat, liberali maternaque prorsus curâ in literarum studiis, domi, & apud exteros denique in contubernio Mauritii Principis Auriaci per triennium educari curavit. Filiam verò Annam penes se eô loco & numero habuit, quo cognatum sangvinem principes habere solent. Uladislai porrò Regis curâ effectum est, ut quotquot ex iis, qui Si-

gismundum ſecuti erant, in Poloniâ ſupereſſent, inque illis adeò præluſtris Parens veſter, cum omni poſteritate ſuâ, in Comitiis publicis, illis ſcilicet, quibus anno ineunte 1633. Uladislaus Regium diadema ſuſcepit, jus indiginatus Polonici, & ſic ad quosvis Regni honores aditum acciperent. Quorum præluſionibus jamdudum Parens Veſter fruitur, ad majora, quæ meruit, identidem deſtinatus, & certò perventurus, niſi Fortunæ, ornamenta ſua comiter offerenti toties repulſam dediſſet, toties adhuc, daret. Quod ſi Materni quoque generis veſtri decora explicare vellem, lucem luci addere viderer. Magnus enim Cemarum, quorum ultimus ſanguis Illuſtriſs. genetrix veſtra eſt, ſplendor in hoc Regno à multis ſeculis fuit, idemque in ſupremis Palatinorum Caſtellanorumque dignitatibus, quas ii ſerie inabruptâ geſſerunt, apprimè fulſit. Jam Leſciniorum quos eadem inter maternos progenitores numerat, quæ eminentia ſit, quæ generis altitudo, dictum à nobis alibi eſt, & vel tacentibus nobis, ſatis ſe omnium oculis honor Illuſtriſſimæ gentis ingerit. Eò magis autem elaborandum Vobis eſt, Generoſiſſimi Adoleſcentes, ut tanto, quo nati eſtis, genere vos indies digniores efficiatis. Nonniſi enim ad ignominiam & dedecus facit claritudo generis, niſi pari poſterorum virtute continuetur.

CAPUT

CAPUT VI.

Stellæ in sublimi positæ lucent mortalibus; & præcipuè per noctis tenebras.

SIdera in alto magnus ille rerum Opifex suspendit, quia mundi esse luminaria, adeòque obtutui omnium patere debebant. *Cœlo hærent, terris lucent:* quod à stellis translatum Gallus quidam nuper ad Reginam Galliarum emblemate applicuit, ad pietatem nempe ejus alludens. Magnates pariter in sublimi degunt, & stellarum instar, aliquantisper forsan se oculis subducere hominum possunt, diu aut semper non possent, nec debent. Non debent, quia operâ eorum, & exemplo reliqvus Orbis indiget. Lumen nimir. suum, quod à DEO accepêre, commodare seculo tenentur, quia id alioquin frustra acceperint. *Non accendi lychnum*, monet Servator, *ut sub modio recondatur, sed in candelabro collocari solet, ut luceat omnibus.* Id verò meritò ad se quoque trahunt, quotquot publico prodesse possunt, & eò magis viri summates, quò hi pluribus sese utiles esse noverunt. Sed nec possunt etiam plerumque latere illi, quantumcunque velint. Ut adamas vel in occulto latens sese prodit luce suâ, ita istos sua & virtus & fortuna omnium oculis subjicit, nec ulla cura aut solitudo ita obstruere aditus potest, quin eosdem seu curiositas humana penetret, seu necessitas consilium opemque poscentium recludat. Necessaria enim plerumque virorum ejusmodi opera est: & quemadmodum luce carere Orbis non potest,

teſt; ita nec magnorum Virorum virtute ac miniſterio. Olim Atlanti vel Herculi cœlum fingitur incubuiſſe, ſed verius iſtis regnorum provinciarumq; moles plerumque innititur. Trojam vidimus ſine Hectore defendi, ſine Achille & Ulyſſe capi non potuiſſe. Adeò multum ſæpè in unius Viri excellentis virtute ſitum eſt. Porrò autem, ut in tenebris ſiderum fulgor maximè & utilis & conſpicuus eſſe ſolet: ita per calamitatum publicarum caliginem maximæ quoque virtutes exſplendeſcunt.

Hectora quis noſſet, ſi felix Troja fuiſſet?
Publica Virtuti per mala facta via eſt.

Sic Themiſtocles, Epaminondæ, Camilli, Scipiones, aliique hoc genus viri nunquam ita magni extitiſſent, niſi Patriæ calamitas virtuti eorum & campum & lucem dediſſet. Sed hac de re nolo nunc plura. Vos Generoſiſſimi Adoleſcentes, cum in excelſo, ſiderum inſtar, ævum olim acturos vos audiatis, tantò enixius excolendos vobis animos putate, ut in publica luce, qvam pulcherrimè olim, ubi ætas patietur & res publica exiget, virtutes veſtræ eniteſcant.

CAPUT VII.

Stellæ, ut Cœlum, enarrant gloriam DEI.

QUod de cœlo & firmamento univerſim ait Propheta Regius, Pſal. VIII. id ſimul de Stellis intelligi poteſt, *quod enarrent gloriam DEI.* Quo haud dubiè id innuitur, eos, qui cœlum & ſtellas penſi-

penſiculatius contemplantur, ad DEUM duci, quippe

Qui ſibi pro velo nitidi tentoria cœli
Et liquidas curvo ſuſpendit fornice lymphas,
Et levibus ventorum aliis per inania vectus
Frenat, ceu celeres, volitantia nubila, currus.

Ut ita ſtellæ. etſi mutæ, DEUM tamen & pietatem doceant: eæque rectè intuentibus veluti faces quædam ante altare Divinum ſtare videantur. Si Pythagoram aliosque quosdam Philoſophos audire luberet, ſtatuendum eſſet, ſtellas alia etiam excellentiori ratione & omnino per ſe ipſas laudare DEUM. Et in eâ prorſus ſententiâ ſunt Hebræorum Doctores. Quod multis teſtimoniis docere poſſem. Sed unus Maimonidæ, cujus præcipua inter eos & eruditio & autoritas eſt, ſuffecerit locus, quem hic Latinis tantum verbis adducere placet. Ita autem ille in Miſna: *Omnes ſtellæ & ſphæræ ſunt animâ, ſcientiâ & intelligentiâ præditæ, vitâ item & conſiſtentiâ. Agnoſcunt enim, cujus juſſu mundus factus eſt. Singulæ earum ſecundum magnitudinem & dignitatem ſuam laudant & condecorant creatorem ſuum ſicut Angeli. Et ſicut agnoſcunt DEUM Opt. Max. ſic cognoſcunt etiam ſeipſas, & Angelos, qui ſunt ſupra ſe, Eſt autem ſcientia ſtellarum & Sphærarum minor ſcientiâ hominum*, hactenus Maimonides. Cæterum etſi eò non progrediamur, ut Stellis rationem potentiamque aliquam internam DEUM laudandi tribuamus: non levi pendendum tamen putamus, quod ad gloriam DEI illuſtrandam, qualecunque

cunquê illud ſit, aliquid conferant. Et meritò vos quoque, Florentisſimi Adoleſcentes, ad animum hoc revocatis, quoties nominis veſtri memoria ſubit. Adeòque hinc ſtimulum ſumere debetis ad Pietatis veræ, ſolidæq́; cultum, qui veræ fidei inixus, veræ ſapientiæ & omnis reliquæ virtutis fundamentum eſt. Nec ſine illâ quisquam hominum vivere beatus poteſt. *Omnia proſpera eveniunt colentibus DEUM*, (ita enim Romani hominis dictum flectere liceat) *adverſa ſpernentibus*. Inprimis verò eo quoq́; pietatis ardorem oſtendetis, ſi nunquam terrena cœleſtibus præhabueritis. Siderium vobis nomen contigit, tantò magis ab humo ad ſidera aſſurgere debetis. *Anguſtus eſt animus*, ait Seneca, (*Quæſt. natur. præfat.*) *quem terrena delectant*. Et idem, *rem contemptam*, dicit, *eſſe hominem, niſi ſe ſupra humana erexerit*. Cogitate brevis ævi, fragilia & caduca eſſe, quæcunque vel maximè ſplendentia hic Orbis oſtentat; quod in cœlo nos expectat depoſitum, perenne & æternum fore.

CAPUT VIII.

Stellæ omnes majores ſunt quàm videntur.

NOn eſt mihi propoſitum, ſiderum hic omnium metiri aut explicare magnitudinem. Libenter enim iſtam curam diligentioribus rerum cœleſtium contemplatoribus remitto. Mihi ſatis eſt, dixiſſe, ſidera diverſæ quidem molis, ſed pleraſque tamen

men terrâ majores paucisſimas, eâ minores eſſe. Neq; enim aſſentiri poſſumus Alphragano, qui ſtatuit, ſtellam in cœlo vix viſu notabilem decies octies, ſuperare terram. Nam Tycho Braheus & alii aſſerunt demonſtrantq;, ſtellarum aliquas non æquare magnitudinem terræ; at interim exiguo numero iſtæ ſunt. Reliquæ omnes immane quantùm mole terram excedunt. Verùm non omnibus iſta earum magnitudo conſpicua eſt, imò & fidem vix reperit apud eos, qui ſenſum, quo res metiuntur, idoneis non juvant inſtrumentis. Solem ipſum, quem toto terrarum orbe multò majorem probat ratio, acies noſtra ita contraxit, ut ſapientes viri pedalem eſſe contenderint, ut ait Senec. lib. I. nat. quæſt. Ad eundem modum virorum excellentium magnitudo non ab omnibus aut agnoſcitur aut æſtimatur, ſæpè ideò, quòd ipſi virtutes ſuas aut vires non adeò cum curâ explicant oſtentantve. Neque enim omnes Mutiano ſimiles, qui *omnium, quæ diceret atq; ageret, arte quâdam oſtentator* erat. (*Tacit. hiſt. II: 80, 4.*) Malunt quidam, *quæ agenda ſunt, agere ſine oſtentatione agendi. & actu otioſis ſimiles videri.* Qualem Julium Agricolam Generi ſtylus deprædicat, *quem*, ait, *tranquillitatem atq; otium auxiſſe, cultu modicum, ſermone facilem, uno aut altero amicorum comitatu, adeò ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem æſtimare mos eſt, viſo adſpectoq; Agricolâ, quærerent famam interpretarentur.* Et ad tales non incommodè applicari posſit Emblema illud; *Non cernuntur & adſunt.* Nonnunquam fit etiam

etiam, ut dotes & merita ejusmodi primorum pretio suo careant, quia desunt, qui ea dignè æstimare velint vel norint. Nec enim quovis seculo justos sui Censores virtus reperit. Luctatur sæpè sub invidiæ tyrannide, sæpè & ignorantiam recti, grandem bonorum virorum remoram, superare non potest. Digno itaque judice destituta, minor, quam est, videtur esse, nec accipit honorem, quem meretur.

CAPUT IX.

Stellæ moventur perpetuò, etsi motus earum non semper sit manifestus.

STellas perpetuo quodam motu circumagi, ne ii quidem negant, qui cœli alioquin motum infitiantur. *Hoc enim stellarum hospitium, (cœlum) reverâ per se non moveri, sed astra solummodò & corpora cœlestia libere absq; omni impedimento in purissimâ illâ aurâ æthereâ, quâ totum stellarum domicilium est impletum, ferri* affirmat suam & aliorum Astronomiæ instauratorum hypothesin secutus amplissimus Hevelius, (*Selenograph. pag.* 156.) Vir de siderali scientiâ optimè merens. Stellas eâ in re æmulari solent Viri magni. Quiescere nec ipsi solent, sed semper in actu esse. Nec in ullis magis sese exserit agilitas animi humani, natale cœlum æmulantis. *Ut enim cœlestium natura semper in motu est*, quemadmodum Seneca vulgarem secutus sententiam loquitur, *fugit & velocissimo cursu agitur*; ita mens hominis, præsertim generosioris. Qualem in Theod. Imp. describens Latinus Pacatus: *Gaudent profectò*, inquit, *Divina perpetuò motu, & jugi agita-*

agitatione se vegetat æternitas, & quicquic homines laborem vocamus, vestra natura est. Ut indefessa vertigo cœlum rotat: ut maria æstibus inquieta sunt, & stare Sol nescit: ita tu, Imperator, continuatis negotiis & in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus es. Istiusmodi animum, segnis otii impatientem, de vestrâ etiam, Prælustres Adolescentes, Familiâ non pauci egregii Viri ostendêre. Atque inter alios præcipuè proavus vester Nicolaus Guldensternius, Regni Sveciæ Cancellarius, cujus & omnem indolem & egregios juventæ labores, tum multiplices per Europam peregrinationes, & posteà Legationes ad Cæsarem aliosque magnos Principes susceptas, longum nec pro modo hujus opusculi foret referre. Brevi compendio negotiosissimam Viri magni vitam repræsentat Carmen, quo, ut habet Messenius, (*theatr. Nobil. Svecor. p.* 14) illum ad Stetinensem transactionem olim Legatum salutavit Haslobius: Quod qualecunque est, propter res, quas continet, lubet hîc subjicere.

Nicoleus cætum Baro Gyllensternius ornat,
Cui Regis Sveci pectora nosse datur.
Ardua suscipiens tractanda negotia rerum,
Fert humeris magni grande laboris opus.
Illius ingenium formavit Svecia cultu,
Cùm studiis ætas mollibus apta fuit.
Leucoris Albiacas illum suscepit ad undas,
Et gremio fovit dulcia membra suo.
Tempore quo multo regnabat laude Melanchthon,
Restituens sacris, eloquioq; decus.

Et

Et tepidas coluit Musas Lovanidos Urbis,
Teutona cùm rapuit Martius arma calor.
Gallia te vidit, fluvio quam Sequana tingit
Vidit & Ausonii mœnia pulchra soli.
Vidit & auriferum, quàm latè currit Iberum,
Anglicus & quantum navita mercis habet;
Scotia post varios illi conspecta labores,
Ingeniis hodie Scotia clara, fuit.
Fovit & hospitio Germania sæpiùs illum,
Hospitibus certe non aliena suis.
Mittitur Orator, patriæ cùm tecta revisit,
Et potuit magni Cæsaris ore frui.
Anglia Legatum vidit, nec Scotia nescit.
Vidit & Hessorum qui regit arva virûm.
Sveciaci factus dum Cancellarius Orbis,
Pro Patriæ curat multa salute suæ.
Jussit Joannes illum Rex esse Baronem,
Præmia quæ Virtus tanta laboris habet.

Sed nobis in stellarum naturâ id porrò dignum consideratu videtur, quod etsi rapidissimo motu ferantur sidera, sic ut omnem calculi industriam eludat, propè & fidem superet celeritas, quàm iis Mathematici, & in his Mersennus, Vir doctus & sagax, tribuit: nihilominus vulgi oculis ille motus vix sit observabilis. Unde Lucretius:

Sidera cessare æthereis adfixa cavernis
Cunctavidentur, & assiduo sunt omnia motu:
Quandoquidem longos obitus exorta revisunt,
Cum permensa suo sunt cœlum corpore claro,

Solq;

Solq; pari ratione manere & Luna videtur
In statione, ea quæ ferri res indicat ipsa.

Et pariter Seneca, *lib. IV, de Benefic. c. 13.* de stellis ait, *quod specie stantis atq; immoti operis velocitatem suam abscondant.* Stellas & hâc in re sæpe numero Viri magni imitantur. Tum enim maximè in motu cùm quieti esse videntur. Quemadmodum de se Scipio dicere solebat, *Nunquam minus otiosum esse, quàm cum esset otiosus.* Et hi tales sæpè plus efficiunt aliis satageis, & nimium inquietis, verumque faciunt, quod Claudianus ait:

- - - *peragit tranquilla potestas.*
Quod violenta nequit. mandataque fortius urget
Imperiosa quies. - - -

Sed de hâc re paulò ante aliquid dixisse memini.

CAPUT X.

Sidera & constantissimè & ordinatissimè cursus suos conficiunt,

SIderum non perpetuus tantùm, sed simul ordinatissimus motus est: ita ut in admirationem quemque mortalium rapiat illa sub certis adeò legibus decurrens corporum pulcherrimorum agilitas. Nec immeritò Cicero, (*de Natur. Deor.*) *nulla in cœlo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest: contraq; omnis ordo, ratio, veritas, constantia.* Manilius de cursu hoc siderum:

Non quicquam in tantâ magis est mirabile mole,
Quam ratio, & certis quod legibus omnia parent.
Nusquam turba nocet, nihil illis partibus errat,
Latius & Levius, mutatove ordine fertur.

Et nullâ exre certiùs ſapientisſimaDivini Conditoris ac Directoris manus agnoſci poteſt, unde idem Poeta de ordine cœleſtium loquens pergit:

Ac mihi tam præſens ratio nonnulla videtur,
Quâ pateat mundum Divino Numine verti.

Stellas hâc quoque in re imitari ſolent & debent Viri magni: Ut Vitæ ſuæ actiones quàm optimè ordinent ac diſponant. Certè enim, *nihil eſt*, ut ait Cicero, *pulchrius in omni ratione vitæ diſpoſitione atq; ordine. Ordo anima rerum*, ut habet vulgare verbum. Nec nimia ſunt encomia, quæ Ordini eloquentisſimus Nazianzenus tribuit Orat. XXVI. *Ordo*, inquit, *omnia conſtituit & alligavit. Ordo cœleſtia & terreſtria continet. Ordo in iis, quæ ratione & animo intelliguntur, locum habet. Ordo in iis, quæ ſenſibus percipiuntur. Ordo in Angelis; Ordo in aſtrorum motu, magnitudine, mutuâ relatione & ſplendore. Ordo cum anni partibus & temporibus apte & diſtinctè tum progredientibus & recedentibus, ac per mediocritatem mitigantibus aſperitatem. Ordo in diei & noctis menſuris & intervallis. Ordo in elementis. Ordo cœlum diſpoſuit, aerem porrexit, terram ſuppoſuit, aut etiam ſuperpoſuit, humidam naturam fudit, atq; in unum locum contraxit.* Ac Viros quidem in excelſo poſitos eò magis ordini ſervando inſiſtere oportet. quò pluribus diſtrahi negotiis ſolent. Alioquin enim minimè omnibus ſufficerent, & plurima agerent perperam, famæque adeò ſuæ, imò & publicarum rerum curſui officerent. Non injuriâ itaque in Aurelio ſuo hanc ordinis curam deprædicat

dicat Gvevara & post alia multa, *Nunquam*, ait, (*c. XVIII.*) *rectè & ordine Respublica regetur, nisi recte & ordine regatur vita Principis.* Et in Sigismundo III. Rege Poloniæ ac Sveciæ à viris, qui aulam ejus & vitam penitissimè perspexerant, atque inprimis ab Illustr. Parente vestro, inter alia hoc potissimum audivi commendari, quòd ordinatissimè omnia privatim publicèque ageret.

CAPUT XI.

Sidera an ab aliquâ animâ intelligente regantur.

NOn videntur stellæ tam benè composito ordine cursus suos emetiri posse, nisi ab aliquâ causâ moverentur, quæ intellectûs sit compos. Aristoteles formam assistentem cœlo & stellis tribuit, â quâ regi ac moveri illas putat. Alii vetustissimi Sapientes seu universali spiritu mundi, seu propriâ quâdam & insitâ animâ illas, uti & cœlum, agitari credidêre. Prius illud Virgilius videtur affirmare, cùm ait:

- - Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem. - - -

Alterum Pythagoras. Zeno, Plato, aliique Philosophorum plurimi, tùm Judæorum etiam sapientes defendêre. Quibus non tantùm aliqui ex Patribus Christianis accesserunt, sed & magnus Astronomus Tycho Brahe, cujus eâ de re verba ex Epistolâ ad Rothmannum recitat Vossius de Idololatr.

lib.

lib II. c. 20, *Verum hoc in cœlestibus cœlesti quodam & longe vivaciore exquisitioreq; modo eveniunt, quàm in animantibus terrestribus, vel æquoreis: cum & cœlum animatum esse, ipsaq; cælestia corpora animantia quædam cœli, vitali spiritu prædita, non abs re sensisse videatur divina illa Platonicorum Philosophia.* Mihi litem hanc non libet nunc meam facere, cui sufficit, eximium hunc, & â manu sanè divinâ proficiscentem tenorem, quem sidera servant, admirari: tùm illud istâ occasione monere. pulcherrimum Virorum in alto agentium decus esse, si â ratione prudentiâque perpetuò regantur. Benè Seneca: *Si vis tibi omnia subjicere, subjice te rationi: multos reges. si ratio te rexerit.* Et Cicero, *vere ars vivendi est Prudentia, sicut medicina valetudinis, navigationis gubernatio.* Sed inprimis in regimine rerum illa utramque penè paginam facit. Et rectè Menander:

ἅπαντα δοῦλα τῷ φρονεῖν καθίσταται.

Subjecta penitus cuncta sunt prudentiæ

Neque reliqua animi bona sine hâc ullam penè vim habent, & jure virtutum cæterarum Prudentia rectrix ac moderatrix audit. Adde & Fortunæ, si Poetæ credendum, qui ait:

Nullum numen abest, si sit Prudentia, sed te
Nos facimus, fortuna, Deam, cœloq; locamus.

Sed qui rectè sapiunt, prudentiæ ita omnia subjiciunt, ut ipsam Deo: sine quo prudentissimi quique desipiunt, & omnis humana Sapientia vanescit.

CAPUT XII.

Stellæ agunt in res inferiores.

SIdera cùm in ſublimi verſentur, vim tamen ſuam ad res infimas demittunt: & cum pleraque mole ſuâ longisſimè terram ſuperent, terræ tamen miniſtrant, ejusque ſeſe uſibus impendunt. Certè magna eorum in res ſublunares omnes efficacia ac potentia eſt. Ab iis enim aêr plurimum alteratur, & vices ſuas annus habet. Tempeſtates cieri ab Orione, Arcturo, Coronâ, ventos à Capra & Hœdis, pluviam ab Hyadibus & Plejadibus, æſtum à Caniculis & anterioribus partibus Leonis, vulgaris alioqvin obſervatio eſt. Inde autem animantia omnia non leviter afficiuntur. Nec ad Lunam tantûm, ſed ad cæteras etiam ſtellas quodammodo pertinet, quod Cicero perhibet, *Multa,* inqvit, *à Lunâ manant & fluunt, quibus animantes alantur, augeſcantq; & pubeſcant, maturitatemq; aſſequantur, quæ oriuntur à terrâ.*

In ipſam denique voluntatem humanam aliquantum licere ſideribus multi exiſtimant: eò quod à corpore non parum trahat animus, corpori autem multam ſubinde vim imprimant ſtellarum defluvia. Ac inclinationem quidem mentium ab aſtris fieri poſſe, Ptolomæo & aliis mathematicis facilè largimur, attamen talem, quæ menti ſeu rationi humanæ asſiſtente DEO, ſit ſuperabilis; Sicq; verum manet illud: — *Sapiens dominabitur aſtris.*

Cæterum quæ vis ſiderum in corpora inferiora, ea virorum Principum eſt in cæteros homines. Nam

ferè, prout illi in alto rem moderantur, exinde isti felices vel infelices, penè etiam dixeram, boni vel mali. Qvia sanè & in mores vulgi multum potest vita & exemplum regentium. Uti enim *rectè facere suos faciendo docent*, ita & vitia transfundere in eosdem possunt, *plusq; exemplo, quàm peccato nocent.* Mores denique sequi amat fortuna populi: quanquam citra hos quoq; multum eam variare possunt Dominantes. Ab illis plerumque pax publica, vel bellum, legum cura vel neglectus.

— — *Procerum motus hæc cuncta sequuntur,*
Humanum paucis vivit genus.

Pulcherrima autem laus illorum est, si potentiam suam non nisi eâ parte ostendant, quâ possunt prodesse. *Neq; ulla*, ut Panegyristes ait ad Theodosium, *major felicitas, quam fecisse felicem, & intercessisse inopiæ, & fortunam vicisse, & dedisse homini novum fatum.* Cui respondet illud Poëtæ:

Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo,
Hæc summa virtus: petitur hâc cœlum viâ.

CAPUT XIII.

Monstrant Regibus astra viam.

CUm multis modis benè merentur de genere humano stellæ, tùm eo quoque, quod & temporum, & suo modo etiam locorum indices, adeoq; actionum plerarumque duces & directrices sunt hominum

mini. Navigantes utique ad earum ductum in vaſtiſſimo mari curſum ſuum moderantur. Præcipuè in oculis illi habent Urſam minorem. Quâ, cùm ex magnis Principibus unus loco Symboli utatur, lemma ei inſcripſimus, *Motum immota rego.* Sed & extra ordinem nonnunquam earum miniſterio ad dirigendas hominum vias & actiones Deus utitur; quemadmodnm Magis ad præſepe Servatoris ducem ſte!lam eſſe voluit. Et eò alludit lemma, quod capiti huic præfixum eſt, â Joanne Gallorum Rege transſumptum, qui id Stellatorum Equitum ordini olim attribuit. Unde hi ſtellam, aureos radios jaculantem, in galeri ornamento, cum dicto lemmate ferebant. Haud dubiè ſic divinæ providentiæ gubernatio indigitabatur, quâ Principum actiones ita reguntur, ut olim ſtella Magorum iter direxerat. Mihi idem lemma non ineptè, nec ſine veniâ, aliò deflecti poſſe videtur. Ut nimirum eam magnorum Virorum Virtutem ſignificet, quæ Regum atque Imperatorum negotia dirigit conſilio; Virtutem utique præclaram ac prorſus divinam Nec enim temerè Ariſtoteles ad Alexandrum M. olim,

τὸ βȣλεύεσθαι τῶν περὶ τῶν ἀν-
θρώπων θειότατόν ἐστι.

Conſulere, eorum quæ circa homines, diviniſſimum eſt.

Neceſſaria eadem & ſalutaris eſt, Magni etiam Re-

gis testimonio, qui ait: *Salus ibi, ubi multa consilia,* intellige bona. Quippe sine consilio non privatæ, tantò minus publicæ & Principum res consistere possunt. *Multa cura summo Imperio inest, multi ingentes labores,* ut ait Sallustius; nec sufficere magnitudini & varietati negotiorum unius hominis, quantumcunque sapiat, animus potest, quanto minùs, si non sapiat. Itaque opus omninò est Imperiorum gubernatoribus ejusmodi ministris, qui nauticæ instar acûs, in vasto illo negotiorum mari viam illis monstrent & ut remigum moderatores, navent Dominis ais operam. Sine his enim ad scopulos inevitabiles fortunam suam & rem publicam allident. Neq; malè huc applicuerimus Claudiani hos versus:

Sic vacui Rectoris equi, sic orba magistro
Fertur in abruptum casu, non sidere, puppis.
Sic ruit in rupes amisso pisce sodali
Bellua, sulcandas cui prævius edocet undas,
Immensumq; pecus parvæ moderamine caudæ
Temperat, & tanto conjungit fœdera rostro.
Illa natat rationis inops, & cæca profundi
Jam brevibus deprensa vadis, ignara reverti
Palpitat, & vanos scopulis illidit hiatus.

Pulchre etiam in hanc rem illustris Sauedra in symbolis, *Princeps,* inquit, *cui tam multa videnda sunt, totus deberet esse oculus, totus auris. Quod quia fieri non potest, alienis utatur, necesse est.* Ac proinde idem Consiliarios oculo ibidem comparat, Aristotelem secutus:

sce-

ſceptrumque oculatum idem vir magnus in Emblemate figurat cum inſcriptione:

His prævide & provide.

CAPUT XIV.

Aſtra lucent Orbi, nec conſumuntur.

LUmen Orbi ſublunari perpetuum ſidera fundunt, ſed ſine damno ſuo. Inexhauſtum quippe in ſe ex primi conditoris munificentiâ fontem lucis habent, ut quantumcunque radios ſuos diſpergant, nihil tamen ſentiant decedere. Stellas eâ quidem in re imitari non poſſunt Magnates Viri, quia & ipſos, & omnem eorum fortunam, omnes opes, fragilitati & corruptioni ſupremum Numen obnoxias eſſe voluit. Interim qui animum attendunt, ex ſiderum perenni velut liberalitate hoc poſſunt diſcere; benefacere equidem Magnis Viris æquè competere, quàm ſtellis lucere: Sed eum tamen quoque ſervandum in beneficiis modum, ne ipſi beneficia immodicè ſpargendo conſumantur. Rivulos de fontibus ſuis deducere, & longè lateque diffundere non licet tantum, ſed & decet: at ſic tamen, ne fontes quoque ipſi inareſcant. Pulcherrima Virtutum Beneficentia eſt, ſed nolumus eam nepotari. Et mera *ambitio, jactantia, effuſio, & quidvis potius, quàm liberalitas exiſtimanda eſt, cui ratio non conſtat*, ut ait in panegyr. Plinius. Egregiè etiam ornat Viros in excelſo agentes vitæ ſplendor, atque exinde id illi obtinent, ut jure appellen-

tur Magnifici. Interim huic quoque Virtuti, eximiæ ſanè & generoſiſſimam quamque indolem maximè decenti, affines ſunt ſcopuli & præcipitia. Si enim extra fines evagetur Magnificus, in luxum, & exinde in egeſtatem & contemptum denique incidet. Stellas quoque lumini jugiter ita ſpargendo non ſuffecturas credidêre veteres quidam, niſi & ipſæ alerentur. Igitur paſci eas humore terreno & ipſo inprimis Oceano, Cicero, Plinius, & omnes Stoici, ut tradit Lipſius in Phyſiologiâ, ſenſerunt, ex quorum ſenſu Lucanus:

Necnon Oceano paſci Phœbumq́ polumq́
Credimus. — —

Neque diſſentire videtur S. Ambroſius. *Frequenter*, inquit, *ſolem videmus madidum & rorantem, in quo evidens dat indicium, quod alimentum aquarum ad temperiem ſibi ſumpſerit.* Verùm alii plerique, præſertim hodierni philoſophi, ut cœlum, ſic ſidera nullo ejusmodi pabulo indigere arbitrantur, cùm ſint corpora ſimplicisſima, ab omni elementari contagione libera, imminutionis corruptionisque expertia. Ali autem ea ſolent corpora, quæ ex materiâ conflata, ejus ſubinde aliquid deperdunt, quod deinde alimento reparandum ſit. Interim quin ſiderum aliqua vapores humiditatesque è terra & aquis eliciant, negari non poteſt. Nimis id enim manifeſtum eſt, præſertim de Sole. Verùm non ſibi, nec ſuum in commodum id, quicquid eſt, ſtellæ attrahunt, ſed nempe in uſum alienum, inprimis hominis.

Nam

Nam quicquid evocatur humidi, id plerumque in imbrem, rorem, nivem, pruinam, aut alia ejusmodi ſolet converti. Id quod nobis iterum in mentem revocat Heroum indolem, quam ante diximus ita comparatam eſſe, ut publicam utilitatem maximè omnium quærat, ſuarum rerum minus curioſa. Nihil quippe vehementius appetunt magni viri, quàm ut verè publici Patres dici queant, adeoque in ſe verum efficiant, quod Poëta præcipit:

Tu civem patremq; geras, tu conſule cunctis,
Non tibi, nec tua te moveant, ſed publica vota.

CAPUT XV.

Inter Stellas Libra eſt, index Juſtitiæ aſtrum.

DUodecim ſigna ſunt, quæ magnum mundi luminare pervadit, dum orbem ſuum curſu annuo emetitur. In iis ſibi vicina duo ſunt, quæ inter mitisſima & maximè ſalutaria habentur, Virgo & Libra: Illa olim, vigente inter homines innocentiâ, præſes ac cuſtos juſti & æqui fuiſſe, poſtea præpollente ſcelerum dominatu, in cœlum translata fingitur. Libræ ſpatia cum ingreditur Sol, fit diei & noctis, caloris & frigoris quaſi æquilibrium; prorſusque tum magnus ille ſiderum Rex juſtitiæ ſolium videtur conſcendere, & pari quaſi lance bona ſua dimetiri hominibus. Utrumque ſidus *juſtitiam & æquitatem*, nobis inſinuat, in magnis Capitibus pulcherrimè radiantem gemmam. Non imme-

merito *Virtutem excellentissimam & splendidissimam, omniumq; virtutum Reginam ac Dominam* dixit Romanæ eloquentiæ parens. Et verè principum virorum virtus illa est, unde & in sacro populo, antequam unius dominatio malâ libidine populi inveheretur, qui rebus præerant, Judices primo dicti sunt, quasi qui jus dicerent, hoc est, justitiam administrarent unicuique. Et *divinus Plato*, teste Macrobio, *in omni sermone suo de Reip. institutione proposito, infundendum animis Justitiæ amorem svadet, sine quâ non solum Respublica, sed nec exiguus hominum cætus, nec domus quidem parva constabit.* Reges ipsos fruendæ justitiæ causa olim constitutos esse, idem, quem paulò antè laudabam, Cicero ait; idemque affirmat Hesiodus, magnus ubique justitiæ præco. Totus enim liber Operum & Dierum, plenus est adhortationum, quibus Perses ad justitiam stimulatur. Principibus verò, ut aliis in negotiis, ita in juris exercitio ministrant Viri primores. Neque enim dijudicandis tot hominum litigiis ac controversiis ipsi supremi Rectores sufficerent. Quanquam aliàs laudi datur Augusto, â Svetonio; *quod ipse jus dixerit assiduè & in noctem nonnunquam: si parum corpore valeret, lecticâ pro tribunali collocatâ. vel etiam domi cubans.* Pariter Tiberius & Vespasianus judiciis soliti sunt assidere. In Trajano quoque idem laudat Plinius panegyristes. In justitiâ autem administrandâ illud maximè & Principes, & qui iis proximi sunt, observandum sibi existiment, ut omnibus ex æquo suum tribuant,

buant, idque citra gratiam & odium, inprimis etiam citra turpe pecuniæ aucupium. Quod Virtutis istius officium, ut & alia pleraque ejus munia, ingenioso Ignatii Albani, Poëtæ Itali, carmine continentur, quod hîc adjici meretur. Ita autem habet:

Quæ DEA? Justitia. Et cur torvo lumine? flecti
Nescia sum lachrymis, nec prece, nec pretio.
Quod genus? à superis: genitor quis? Juppiter: ex quâ
Matre? fide, Nutrix quæ tua? pauperies.
Quis gremio infantem fovit? Prudentia. quonam
Freta duce agnoscis crimina? Judicio.
Cur gladium tua dextra gerit, cur læva bilancem?
Ponderat hæc causas, percutit illa reos.
Cur rari assistunt? quod copia rara bonorum est:
Quæ comes assidua est? candida simplicitas.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?
Hæc surda injustis, panditur illa bonis.
Paupere cur semper cultu? Justissimus esse
Qui cupit, exiguas semper habebit opes.

Sed lubet ejusdem Autoris alteram imaginem adjicere, quâ iniquitatem, inimicam justitiæ depingit:

Quæ tu? Injustitia: & cur blando lumine? flector
Protenus ante omnes non prece, sed pretio.
Quod genus; à terris; quo patre? dolo; unde creata?
Ex spe. Quæ nutrix? aurea materies.
Quis gremio infantem te fovit? Opinio famæ:
Quomodo cognoscis crimina? muneribus,

Cur gladium dextrâ gestas, lancemq; sinistrâ?
Hæc peragit causam divitis, illa inopis.
Quid multi assistunt? citat hic, tenet hic, ligat alter.
Quæ comes? argenti non satianda sitis.
Altera clausa tibi cur auris? & altera aperta est?
Hæc patet injustis, clauditur illa bonis.
Divite cur habitu? semper manus aggregat aurum,
Si nequit, unde velit, surripit, unde potest.

CAPUT XVI.

Inter easdem Stellas Mars est.

NUllorum Siderum major in res sublunares vis est, quam Planetarum. Qui â perpetuo motu nomen habent, & quia locum quidem, sed certissimis ac definitis spatiis mutant, errones dicuntur, etsi nunquam errent. In iis non postremum locum tenet Mars, sidus calidum, & colore rutilo sanguinem spirare visum, certè, ut ex effectis apparet, ad ferociam inclinans. Unde & terris septentrioni subjectis, Scythiæ inprimis & Germaniæ præesse olim creditus est. Et certè nullæ propè gentes Martio robore magis eminuere; clariores tamen futuræ, si feroces corporis & animi impetus ratione & prudentiâ majore temperavissent. Neque enim per se quicquam nisi pugnas, tumultus, & maxima quæque mala ciere Mars solet. At ubi alio aliquo benigniori sidere mitigatur ejus ferocia, nobiles sane effectus edere amat, & veræ fortitudinis bellicæ gloriam sequi & assequi consuevit: Virtutis

tis utique inter Heroicas & magnorum Virorum proprias, haud poſtremæ; præſertim ſi in probum incidat campum, in quo explicare ſigna ſua poſſit. Hunc verò bellum ei aperit, res equidem funeſta & triſtis, ea tamen in mortalium indole habens ſemina, ut nunquam illâ cariturum ſit humanum genus. Fuerit ſanè, ſi fabulis fides eſt, illa olim ſub Saturno morum integritas, eaque placiditas animorum, ut nemo alteri vi vel fraude nocuerit, ſed ſponte ſuâ omnes ſuum cuique reddiderint reliquerintque. Si enim tale unquam ſeculum fuit, nullum utique in eo locum regimen Juſtitiæ permiſit Marti; & viguit illa in orbe beatitudo, quam Ovidius deſcribit, cum ait:

Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat: ſine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.

Quia ſcil. ſub juſtitiæ ſceptro nullum erat pretium fortitudinis. Sed ejusmodi mundi felicitas nunquam, opinor, extitit, niſi intra Poetarum ingenia. Nam certè, penè ſimul cum ipſo genere humano cœpêre disſidia, lites, pugnæ, tandemque etiam, cum in aliquam multitudinem idem illud excrevit, bella. Nec ipſa Chriſti ſanctisſima ac mitisſima diſciplina ita omnium hominum animos permulſit mitigavitque, quin bellis relictus ſit locus, præſertim ex quo illa ad clavum imperii pervenit. Semper reperti ſunt, qui privatam, qui publicam quie-

tem

tem vi & armis lacesserent, unde & qui pacis alioquin amantissimi essent, tuendi sui causâ, arma pariter coacti sunt movere. Eademq; necessitas hodie quoque multis incumbit, etsi bellum minimè quærentibus. Sed quia per alios quietis esse non licet, vim alienam pio justoque bello propulsant, & subinde DEO & Virtute Duce, hostes suos vincunt, aliquando & subigunt sibi. Quâ ex re, ut honor denique summus & egregia laurearum triumphorumque materies efflorescit, ita fortunarum, ditionum, Imperiorumque maxima emergunt incrementa.

CAPUT XVII.

Stellarum etiam fœdera quædam sunt.

HAbent astra singula corpus & Orbem separatum, habent & tramitem proprium, quem tenent. Sed non ita tamen solitaria semper & aliorum quasi incuria incedunt, quin mutuò sese respiciant, ac societate etiam aliquâ inter se devinciantur. Benè Manilius:

— — propriis inter se legibus astra
Conveniunt, & certa gerunt commercia rerum.

& ibidem:

Sed DEUS in leges mundum cum conderet omnem,
Junxit amicitias horum (siderum) *sub fœdere certo.*

Unde in scriptis Mathematicorum toties de planetarum conjunctionibus legere est. Et his ipsis maxime plerumque rerum sublunarium mutationes tribui

bui ſolent. Soli enim Saturnus ſi jungatur, aerem reddere putatur torpidum. Si Martis cum Venere fiat copula, imbres & nonnunquam fulmina ſequuntur. Juppiter cum Mercurio ſociatus ventorum prælia & tempeſtates excitare dicitur. Jam magnæ illæ Saturni & Jovis conjunctiones cum accidunt, quod equidem vix ſeptimo quoque ſeculo fieri ajunt, tum memorabiles inprimis rerum periodos in orbe fieri obſervatum eſt. Qua de re Chronologi conſuli poſſunt. Nobis jam iſtæ ſiderum conſociationes amicitiam inſinuant, à qua magni viri non ſolent eſſe alieni. Eſt quippe illa vitæ præſidium ſolatiumque, cujusvis fortunæ hominibus neceſſarium. Et verè Cicero, *non igni*, ait, *non aquâ pluribus locis utimur, quàm amicitiâ*: Eidemque *Solem de mundo tollere videntur, qui amicitiam tollunt de vitâ.* Nec faſtigium ullum tantum eſt, quod iſto tibicine non indigeat. Regum ipſorum atque adeò imperii *nullum melius inſtrumentum, quàm boni amici*, ait ille apud Tacitum. Et Saluſtius, *non exercitus neque theſauri præſidia Regni ſunt, verùm amici.* Nec temerè Philippus II. Hiſpaniarum Rex inter adamata ſymbola habuit malum granatum, quod hians, grana, quæ in eo pomo innumera inſunt, oſtenderet, cum inſcripto lemmate, *Tot Zopyros.* Optans ſcilicet ſibi & totidem amicos, quod in malo granato eſſent; & tam fidos, quàm olim Dario Zopyrus fuerat, quem notum eſt, corpore ultrò mutilato, Babylonem urbem in Regis ſui poteſtatem redegiſſe. Herœum

porrò

porrò veterum res cum evolvimus, eos penè omnes habuisse legimus fidos ejusmodi vitæ ac laborum suorum socios. Herculi Philoctetem, Achilli Patroclum, Theseo Pirithoum, Peleo Phœnicem, Diomedi Sthenelum, Æneæ Achaten intimâ necessitudine & individuo periculorum ærumnarumque consortio innexum fuisse tradunt Poëtæ. Moysi olim Aaron & Josua, Davidi Regi Joabus; Cyro Sybares, Alexandro M. Parmenio, Scipioni Africano Lælius, Georgio Castrioto, qui Scanderbegus aliâs dicebatur, Moyses quidam Golentus consors ac comes expeditionum bellicarum fuit. Non unâ verò ex causa aut occasione nascuntur ejusmodi amicitiarum fœdera. Sæpè enim adolescentiæ simul actæ suavitas, nonnunquam variorum casuum ac fortunæ communio, plerumque verò morum similitudo conjungit animos. Arctissimè autem iidem amicitiarum nodi coëunt, cum quadam quasi συναστρίᾳ naturali ac cœlitùs insitâ animorum inclinatione copulantur. Neque enim de nihilo est, quod de vi astrorum in sociandis animorum affectibus tradunt Astronomi, atque inter alios Manilius, qui in libro II. hac in re valde prolixus est. Maximam verò is ad rem istam Trigono vim tribuit, cum ait:

Longior in spatium porrecta est linea majus,
Quæ tribus emensis signis facit astra trigonum.
Hæc ad amicitias, imitantes jura gradumq;
Sanguinis, atq; animis hærentia pectora ducit.

Et mox:

Hæc

Hæc meliora putant, mentes quæ jungere possunt,
Quàm quod nonnunquam fœdus sub sangvine fallit.

CAPUT XVIII.

Stellarum pariter oppositiones sunt.

UTi siderum societates & amicitias, ita in iis aliqua quasi dissidia, certè effecta eorum contraria sæpè esse, experientiâ docemur. Dicere ex Manilio verbis aliquantum mutatis liceat:

Sideribus sæpè est adversus sidera bellum,
Et quasi seditio cœlum tenet.

Nescio an à sideribus proveniant, sed plerumque viros magnos graves persequuntur inimicitiæ. Nonnunquam potentiorum odiis obnoxii sunt; id quod tum præcipuè fit, ubi in principes virtuti infensos incidunt. Nam hi gloriam alienam in diminutionem sui accipiunt, & ægrè superari se ferunt ab iis, quos fortunâ supereminent. Ita Davidem Saulus, ita Germanicum Tiberius, Corbulonem Nero, Agricolam Domitianus oderat, ob indolem erectiorem,& pulcherrimorum facinorum laudem. Cum paribus quoque non raro magnos viros committit æmulatio, acri quandoque certamine, non usquequaque tamen improbo, dum in Invidiam non degenerat affectus. Hæc n. omnis boni moris, omnis fastigii & felicitatis hostis est. Illa olim Herculem, Theseum, Miltiaden, Themistoclen, Aristiden, Epaminondam, Africanum exercuit pressitque. Illa Belisarium (lubet enim ex Christianorum Principium histo-

historiâ vel unum hunc producere) ex summâ fortunâ in carcerem detrusit. Is vir rebus adversum Gothos & Vandalos egregie gestis, mirificam sibi apud omnes autoritatem, apud Justinianum verò gratiam pepererat, adeò, ut hic monetam cudi curaverit argenteam, cujus alterum latus Justiniani impressam imaginem, alterum Belisarii faciem repræsentabat, cum inscriptione : *Belisarius decus Romanorum*. Sed eundem paulò post affectati imperii suspicione cæterorum procerum invidia adspersit, cumque fidem ea apud Principem credulum reperisset, in vincula compulit. Ut ita inclusus Vir de Imperio optimè meritus, aliquamdiu luce publica caruerit. Quod ulterius extendentes quidam scriptorum, oculis orbatum Belisarium, & stipem mendicasse memorant. Sed non processit viri calamitas ultra carceris tenebras: & ex his ipsis quoque anno sequenti liberatus, dignitatique & fortunis suis redditus, de invidiâ & inimicis suis splendidissimè triumphavit. Ac tali sæpè exitu solent evanescere fumi invidiæ. Tantoque adeò minus extimescenda est ista pestis viris egregiis, & suâ virtute nitentibus. Excitare eam, & excitatam ferre posse, eximiæ utrumque virtutis & gloriæ est. Et si furere illa nimium ac gravis futura videatur, aptis nonnunquam delinimentis demulceri potest, quorum aliqua Aulicus inculpatus brevi iterùm edendus, tum Picartus in Observationibus suis Politicis (*Decad, XII. cap. 8.*) annotavit, & plura cuique

Optimati sua suppeditare potest prudentia. Quod si nulla prorsus offa isti Cani os obstruere possit, latrare eam patiuntur Viri magni, suo interim innocentiæ clypeo tuti, & à conscientia solatium, à tempore ipso remedium quærentes. Nam hoc denique malam istam bestiam necare solet. Cum obstinatissima ea est, ad ipsum usque sepulchrum, quos odit, deducit, ibidemque ipsa quoque exspirat tandem. Postea verò demùm posteritas, optima plerumq; meritorum æstimatrix, suum cuique decus rependit, *demptisq; obtrectatoribus ipsa se virtus magis magisq; extollit, ut ad Cæsarem Salustius ait.*

CAPUT XIX.

Stellæ non sunt mundæ coram DEO ex Jobo: ubi & de Solis maculis.

RES omnes creatas etiam fulgidissimas, ad Sapientiam DEI comparatas, meras tenebras esse affirmat Baldadus Jobi amicus, & nec Lunam *coram eâ splendere, nec cæteras stellas in conspectu DEI mundas esse,* ait. Nihil alioquin pulchrius, nihil splendidius est sideribus. In rebus utique sublunaribus nihil æquat puritatem eorum. Sed nempe, quæ perfectione excedere res alias videntur, superantur tamen Divinæ virtutis excellentiâ, & in pulcherrimis quibusq; rebus, imperfectionis nævos, nobis inconspicuos, cognitos habet DEI conditoris oculus. Quid quod & hominum hodiè solertia visa sibi est reperisse, unde & cœlum & stellas, corpora aliàs ex

Aristotelis ſenſu omnis corruptionis expertia, imbecillitatis posſit convincere? Hevelius ſanè vir nobis amicisſimus idemq; ſagacitate in cœleſtibus clarisſimus, plurimis alterationibus cœlum obnoxium ſtatuit, ac toto Selenographiæ libro, hoc inter præcipua agit, ut Solis & Lunæ maculas oſtendat Orbi. Et ejusdem cum eo ſententiæ ſunt Galilæus, Gaſſendus, Bullialdus, Eichſtadius, aliiq; magni nominis Mathematici. Jam mutilas quoq; ſtellas nonnullas jamdudum antiqui aliqui obſervarunt, ex quibus Manilius:

Quod ſi ſolerti circumſpicis omnia curâ,
Fraudata invenies amisſis ſidera membris.
Scorpius in Librâ conſumit brachia. Taurus
Succidit incurvo claudus pede. Lumina cancro
Deſunt. Centauro ſuper eſt & quæritur unum.

Et inde idem Poëta elicit proponitq; monitum, quod mihi in hoc capite pro ſcopo eſt. Ita autem ille:

Sic noſtros caſus ſolatur mundus in aſtris,
Exemploq; docet patienter damna ſubire:
Omnis cum cœlo fortunæ pendeat Ordo,
Ipſaq; debilibus formentur ſidera membris.

Nempe â Stellarum imperfectione & quadam velut debilitate ſolatur Poëta genus humanum; & defectus mortalitatis non tantùm minus mirandos, ſed & tanto ferendos patientius exiſtimat, quando ab iis cœlum quoq; ipſum non prorſus ſit immune. Cæterum defectus illi partim in fortunis hominum, etiam magnorum, partim in moribus cernuntur.

In

In fortunis, cum varii ſubinde casûs adverſi, vel ſummis quibusque viris contingant, quibus aut opes eorum, aut dignitates atteruntur. Neque enim ulla vitæ ſtatio tam alta, tam ſplendida eſt, ut aleam mutationum & vim fortunæ tranſſcendat. Quinimò quò ſublimior cujusque hominis conditio, quò opum honorumque major affluentia, hoc magis ea ictibus fati expoſita eſt, prout corpora, quantò grandiora ſunt, tantò magis patent in vulnera. Imò & ea veluti lex poſita eſt rebus mortalium, ut, ubi ad ſummum perductæ fuerint, retrò ferantur, partim diſpoſitu fatorum, varia plerumque inſtrumenta immittentium, quibus impellatur is, qui ad ruinam eſt damnatus. Verùm hîc non tantùm de fortunæ defectibus res nobis eſt, ſed ſimul quoque, & penè etiam principalius, de morum maculis. A quibus nullius unquam hominis vita prorſus eſt immunis. Et verè in Panegyrico Plinius: *Nemo adhuc extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.* Et Seneca: (*Epiſtola* 114.) *Nullum ſine veniâ placuit ingenium. Da mihi, quemcunq; vis, magni nominis Virum. Dicam, quid illi ætas ſua ignoverit, quid in illo ſciens diſſimulaverit. Multos dabo, quibus vitia non nocuerint, quosdam, quibus profuerint.* Adeoque igitur etiam ii imperfecti ſunt, qui boni aliàs videntur: & quos nullum notabile vitium inquinat, iis virtutes tamen aliquæ deſunt. Rarisſimus utique Princeps, imò forſan nullus eſt, qui perpetuo & toto virtutum quaſi orbe luceat. Bene Claudianus:

— — Bellis insignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis: in publica felix,
Sed privata minus. Partitim singula quemq́;
Nobilitant.

Quod idem quoque Plinius dicit in Panegyrico: *Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace, alium toga, sed non & arma honestarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit.* Verum enim verò, cum mortalium unusquisq; aliquid sibi deesse intelligit, tantò magis agnoscere mortalitatis suæ imbecillitatem, tantò & fortiùs pugnare quotidiè in vitium, & ad perfectionem, si quæ datur in vitâ, tendere quivis tenetur. Tanto etiam qui potentes sunt, æquiores placidioresque se præbere aliorum nævis debent, ne acri nimis rigidi juris severitate quævis delicta persequantur; potiùs verò hâc quoque in re ad illud culmen virtutis enitantur, de quo idem Plinius loquitur in Epistolâ quadam: *Optimus atq; emendatissimus ille est, qui cæteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidiè peccet; ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat.*

CAPUT XX.

Stellæ cum cadere videntur, mala aliqua portendunt, uti & Eclipses.

DE Stellis cadentibus magnus jam olim inter rerum naturalium scrutatores fuit dissensus. Epicurus revera stellas de cœlo labi credidit, & nu-

& nubibus immersas, pugnâ quadam caloris cum humido excitare fragorem, qui fulgura & fulmina comitari soleat. Aristoteles de stellarum istarum trajectione, quam διαδρομὴν & alibi ῥῦσιν ἀστέρων vocat, inter meteora agit. Et in horum censum phœnomena illa â plerisq; hodie philosophantium referuntur. Interim eadem, apud omnes, stellarum adhuc nomen retinent, & cadentibus illis decidere dicuntur stellæ, non quod verè cadant, sed quia cadere videantur, cum aliud quid prosiliat, quod stellæ figuram mentiens, vulgi oculos decipit. Ex cujus vulgi mente Virgilius quoque loquitur, cum ait:

Sæpè etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctisq; per umbram
Flammarum longos à tergo albescere tractûs.

Sed quicquid tandem sit, quod decidit, nunquam fit ille casus citra singularem, eumque lævum plerumque effectum. Ac primum ventorum tumultus eò portendi asseverat Plinius: *fieri*, inquit, *videntur discursus stellarum, nunquam temerè, ut non ex eâ parte truces venti cooriantur.* Eodem facit, quod Seneca ait: *Argumentum tempestatis Nautæ putant, cum multæ transvolant stellæ.* Ptolomæus non tantùm ventos & aêris perturbationes, sed & siccitatem, & deniq; exercituum incursiones illa stellarum trajectione, indicari asserit. Et inter belli civilis, quod Pompejus cum Cæsare gessit, præsagia, memorat Lucanus,

— — — cœloq; volantes
Obliquas per inane faces. — —

Jam ipse quoque Servator extremæ rerum in orbe confusioni prævium stellarum de cœlo delapsum asserit. Id num propriè an improprie accipiendum sit, non est meum definire. Video tamen aliquos authores per stellas eo loco Viros magnos, in Ecclesiâ inprimis eminentes, intelligere. Mihi, qui totâ hac dissertatione viros magnos stellis comparavi, satis est nunc dixisse, virorum excellentium occasum nihil boni plerumque Rebuspublicis & Imperiis portendere; perinde ut phœnomena illa, quæ stellæ cadentes dici consuevêre, calamitates aliquas præcedere & signare solent. Certè enim, ubi terram quampiam affligere decrevit Numen, optimos quosque inde auferre amat. Nam cum apprimè & præ cæteris diligat istos, expertes esse vult malorum imminentium, adeoq; in portum eos subducere solet, antequam oriatur tempestas, quæ cunctis naufragium minatur. Deinde, si ad pœnam divinam matura est Urbs vel Respublica, adimit illi Nemesis viros insignes, ceu remoras fatorum. Sæpè enim viri ejusmodi iræ divinæ & suppliciorum destinatorum cursum, probitate suâ sufflaminant. Nonnunquam prudentiâ atque autoritate, nutantem consiliorum negotiorumque structuram sustentantes, morantur ruinam publicam. Quam ubi inducere jam statutum est fato, subtrahi necesse est fulcra & tibicines, quibus id, quod ruit, ante hac innitebatur.

Sed

Sed jam de Eclipsibus ob affinitatem argumenti breviter aliquid addendum est. Quibus non Solem tantùm & Lunam, sed & Jovis & Mercurii & Veneris stellam obnoxiam, posteriorum Mathematicorum observavit industria. Sed Solis & Lunæ, utpote siderum in res humanas maximè agentium, deliquia præ cæteris movere solent animos. Et jam olim viros etiam præstantissimos, ac supra vulgum sapientes, in talibus stellarum defectibus, si insignes & diuturni sint, scelera magna & mortes memorabiles metuisse, ex Plinio colligere est. Idemque Niciam, Atheniensium Imperatorem, cum obtenebratione ejusmodi factâ, educere exercitum noluisset, suæ Reipubl. multùm nocuisse narrat. Contra autem deliquium Lunæ Germanico Cæsari ad compescendos milites seditiosos multùm profuit, ut apud Tacitum legi potest. Sed etiam illud obiter tangendum est, quod maxima sidera curam mortalium, tum potissimum, cum deficiunt, in se avertunt. Benè Seneca; *Sol spectatorem non habet, nisi cum deficit, & nemo Lunam observat, nisi laborantem.* Unde & nobilis ille orator ac historicus Famianus Strada occasionem sumsit Emblematis, quo Soli deficienti lemma inscribit: *Spectatur, cum deficit*: Idq; ad Christum refert, invitantem ad se trahentemque mortales, cum morte acerbissimâ deficeret: sed trahi idem ad homines quoque magnos possit, quos plerumq; tùm demùm æstimare ætas sua solet, cum habere illos desiit. Et nempè quod de Patriâ dicit Cicero, id de

id de Virtute quoque verum eſt, *quod eam carendo magis, quàm fruendo intelligant homines,*

CAPUT XXI.

Stellarum fulgorem mentiuntur meteora quædam, ut Cometæ & ignes fatui.

CORporum cœleſtium naturam pernoſcere opus arduum, nec cujusvis ingenii eſt. Vulgi ſanè oculos plerumque ea fallit, ſed & ſolertisſimorum quorumque aciem, etiam diu fatigatam, ſæpè effugit. Unde ſtellarum ſpecie multis impoſuêre corpora, quæ nihil minus ſunt, quàm ſtellæ. Cometas utique à Veterum nonnullis, nimirum Anaxagora, Democrito, Pythagoræ item diſcipulis, ad ſtellas relatos eſſe, Ariſtoteles teſtatur: & ideò eo‹de›m inter DEos quoque locum & honorem in delirâ gentium ſuperſtitione habuiſſe notat Vosſius. (*de Idolat. l. III. 9.*) Inter ſtellas quoque numerati C[a]ſtor & Pollux, unde apud Horatium;

Fratres Helenæ, lucida ſidera.

Et magno honore culta hæc olim ſcimus, inprimis â navigantibus, qui ſe eorum conſpectu adjuvari credidêre in tempeſtatibus. At hodiè apud naturalis ſcientiæ conſultos conſtat, Caſtorem & Pollucem nil niſi exhalationes eſſe pingves, & viſcoſas. Nihil jam dicam de aliis meteoris igneis, quæ pariter flammâ ſuâ imperitis nonnunquam fucum faciunt, ut pro ſideribus habeantur. Mihi nunc, quod de larvis ſiderum dixi, applicandum eſt ad virorum eminen-

minentium historiam. Nam & inter istos non rarò imposturæ occurrunt. Quippe virtutis larvam nimis sæpè flagitia induunt, & nescio, quo judiciorum errore, viri magni non rarò dicuntur, qui dici minimè meruêre. Reperti quoque identidem, qui magis felicitate quâdam, quàm bonis artibus arrepsêre summis Principibus, & hîc gratia atque autoritate validi, honores maximos præripuêre aliis, qvi iis longè fuerant digniores. Quoties porrò factum est, ut homines vili de sangvine nati, magni generis jactarent splendorem?

Plenæ sunt historiæ fraudatorum ejusmodi, qui specie oris, qui dictis compositis, artibusque subdolis principum virorum nomina & autoritatem sibi arrogantes, non uni & alteri homini, sed magnæ multitudini, nonnunquam & totis pene gentibus palpum obtrusêre. Reipubl: Romanæ olim Equitius imposuit, qui Tiberii Grachi filium se fingens, magno populi applausu, atque etiam Tribunorum assensu exceptus est: Et magnum vulnus dedisset Reipubl. nisi dolum festina aliorum diligentia detexisset, vide *Valer. Max. l. 9. c. 16.* Eâdem fraudulentiâ, sed graviore damno eandem Rempublicam Andriscus postea circumvenit, qui Philippum Macedoniæ Regem se esse mentiens, cum formam nomenque Regium, animo quoque Regio implesset, exercitu collecto Prætorem Romanum profligavit, nec, nisi à Metello Consule vinci potuit, etiam cum victus esset, hoc à fortunâ solatium adeptus, ut de ipso po-

pulus Romanus, tanquam de vero Rege, triumpharet, ut est apud Florum (*Lib. II, c.* 14.) Sub Vitellio Imperatore, Geta quidam in Illyrico, forte servili natus, Scribonianum se finxit, & coactâ servorum manu Illyricum turbavit, longius sparsurus servilis belli flammam, nisi maturè comprehensus, crucem, ut fugitivus, subiisset, qui Senatorem se dicens, Senatui & Imperatori imperare affectaverat. Similes quoque Planos posteriora tempora in omnibus pene Regnis & Rebuspublicis tulêre. Nam & Germanicum Imperium Pseudo-Henricum vidit, de quo Fulgosus (*Lib. XI.* 16.) legi potest: & postea Pseudo-Fridericum, de quo præter Crantzium & alios, Caspar Dornavius in Rudolpho Habspurgico memorat, tantillum abfuisse, quin ab eo, & imperio & vitâ, laudatissimus iste Imperator fuerit privatus. Magna Friderici Imperatoris memoria erat ubique in Germania. Itaque cum se esse finxit quidam Tito Colupius, homo senex, & apprimè astutus. Aderat forma similis, & par ætas. Genus porrò & majores Friderici exactè idem numerare noverat. Jam dicta ejusdem & facta ita graphicè referebat, ut plurimis fidem faceret, ipsissimum esse Fridericum. Inter alios, Thuringiæ quoq; Landgravium in partes suas pertraxit. Eòque demum tùm virium tùm audaciæ pervenit veterator, ut Rudolpho Imperatori apertè sese opponeret. Et indici ei jussit, ut deposito imperio, sibi ut vero Domino suo, obsequium præstaret. Sed non diu histrioniam hanc exer-

exercuit impoſtor. Detracta homini perſona eſt, deſertusq; paulò poſt à ſectatoribus ſuis, & in manus Imperatoris traditus, ignis ſupplicio fallaciam ſuam luit. Ita in Hiſpania fuêre, qui Alphonſos; in Britannia, qui Richardos; alii, qui Eduardos; in Flandriâ, qui Balduinos; in Luſitaniâ, qui Sebaſtianos ſe eſſe mentirentur. In Moſcoviâ, quas turbas parentum noſtrorum ævo, duo Demetrii dederint, nolo commemorare, quia res in plerorumque memoriâ recens eſt & â nobis in Floro Polonico exponitur. Sed eorum prior, verus an falſus Moſcoviæ Principum ſangvis fuerit, nec dum ſatis compertum habetur. Alter utique certisſimus Sycophanta, cum faſtigio prioris ſuccedere vellet, exitio ſuccesſit. Nam ut ille à Moſchis, ita iſte à Tartaris, ſtipatoribus ſuis, occiſus eſt.

BEnigna eſt materies, Præluſtres & Generoſisſimi Adoleſcentes, quam hîc tractamus, & diu usque ſtylum tenere meum poſſet: ſi inprimis alteram etiam Nominis Veſtri partem ſimili explicatione evolvere vellem. Ab AURO enim, metallorum nobilisſimo & prorſus principe, multa ac fortunæ Summatum longè convenientisſima præcepta ducere, in proclivi eſſet. Sed hîc jam ſiſto. Et opinor tam erectis ad omnia optima animis iſta facilè ſufficere. Quod reſtat, DEI perpetuum vobis favorem, & ſecundisſimum Illuſtriſs. Domui Veſtræ rerum omnium ſucceſſum animitùs voveo ac precor.

FINIS.

Ad lectorem.

CUm hæc ſcriberem, præluſtres hi juve-
nes in muſteâ, ego in virili ætate eram. Nunc annis provectus altiora & magis cæleſtia agito. Illi præcoce fato abrepti, allatum ex Sveciâ in Pruſſiam decus familiæ, unà ſecum in ſepulchrum duxêre. Neq; enim niſi Sorores, & ex his natos liberos reliquerunt ſuperſtites. Prima natu nupta fuit Illuſtri JOANNI CASIMIRO KRETCOVIO, & poſt hujus fata Illuſtri STANISLAO KONOPATSCIO, Caſtellanidæ Elbingenſi, altera Illuſtri VLADISLAO LOSZ Dapifero Plocenſi. Tertia nupſerat illuſtri N. DROHOJOVIO; ſed citò thalamum tumulo mutavit.

QVandoquidem chartæ aliquot vacuæ ſuperſunt, lubet hic ſubjungere, POEMA CONSOLATORIUM, Sereniſſimo olim Regi JOANNI CASIMIRO, *cùm poſt multas ingentes calamitates, in Pruſſiam Anno 1656. menſe Nov. veniſſet, ſcriptum, in quo multa de VIRTUTE, & laboribus ærumnisq; MAGNORUM VIRORUM diximus.*

GRATULATIO PAREGORICA,
Ad
SERENISS. REGEM
JOANNEM CASIMIRUM
Cum
Anno 1656. ex Silesiâ post multas ingentes calamitates & quasi ab exilio, Gedanum venisset.

ENthea lux animi, Virtus, natalis Olympi
Conscia, se digno cum pectore sedit, in altum,
Corporis eluctata moras, cœlestibus auris
Surgit, & ad Superos, cognatæ Stirpis anhela,
Nititur, hîc metamque suo, requiemque labori
Quærit, & ardenti spondet sibi præmia voto.
Dum tamen in terris habitat, non desinit hospes
Nobilibus laudem Studiis, & honesta mereri,
Ingenio dextrâve potens, suffragia famæ.
Hîc leges, hîc sceptra locat, frenisque coërcet
Quantumcunque potest, sontes, & vindice pœnâ
Crimina persequitur, factisque rependit honestis
Mercedem, fasces tribuens, meritasque Curules.
Si scelus evaluit nimiùm, dignisque negavit
Præmia, Vatiniique tenent Clodiique secures,
Altius illa suis pretium proponit alumnis,
Ipsa sibi non vile decus; non frigida merces.
Erigit inprimis supra mortalia mentes.

Et pulchris agitat facibus, redditque futuri
Prudentes, pariterque æqui rectique tenaces.
Illa voluptatum ſtimulos rationis habenâ
Temperat, illa metus dextrè regit, illa dolores,
Et ferale odium premit, irarumque tumultus.
Illa eadem, quicquid Fortuna vel obtulit ultrò,
Vel labor extorſit, ſterili non detinet umbrâ,
Nec tegit invidiâ. Potiùs ſua munera ſpargit,
Et multis commune facit, quod posſidet ipſa.
Obligat hæc etenim populos, Orbique quietem
Servat, & infauſto depellens nubila ſeclo,
Noxia propulſat, dira & contagia belli,
Quà fas eſt, Patriis, ſolers avertit ab oris.
Si vis incubuit, ſi proruit hoſtis ad arma,
Intolerans æquæ pacis, ſervareque jura
Neſcius, haudquaquam ſegni Virtutis Alumnus
Detinet arma ſinu. Prodit generoſus, & ardens
Incedit per ſcuta verûm, per tela, per ignes,
Fluminaque effuſo ſignat camposque cruore;
Et vario ſparſas cumulat dum vulnere cædes,
Non timet ipſe mori. Stimulat per denſa ruentem
Agmina libertatis amor, movet ardor honeſti,
Pulchraque perpetuis incendit gloria flammis.
Talibus ad Trabeas meritis, ſellasque Curules
Tendit, & illuſtri penetrat Capitolia pompâ,
Suſpenditque tholis palmas, figitque trophæa,
Pieriisque ſimùl nunquam moritura papyris
Tradit, & æternis inſcribit nomina faſtis.
Sidera cum repetit Virtus, quæ geſſit in Orbe,

Supremo

Supremo ſiſtit Domino, partosque triumphos
Imputat autori, cujus mox læta favore,
Æthereum diadema capit, ſociataque Magnis
Cœlitibus, numero nova gaudia concitat aucto.
Hic VIRTUTIS honos, hæc illi deſtinat æther
Præmia. Sed minimè molli tamen iſta parantur
Tramite: difficili veniunt quærenda labore.
Obvia nimirum ſunt vilia: proſtat arena
Omnibus, & tenui molimine ſaxa leguntur.
Aurea ſed penitis terrarum maſſa cavernis
Eruitur: cœco Thetidos latet unio fundo:
Ambraque non quovis, quovis natat alga profundo.
Sic prona eſt vitii, nullâ via rupe tenetur,
Sed præceps immane patet. Proclivis Averni
Deſcenſus, contrà ſuperas operoſus ad auras
Tranſitus eſt. Celſo VIRTUS in culmine ſacram
Defixit ſedem, ſcrupoſis triſte ſalebris
Illuc ducit iter, vario ſcinduntur hiatu
Confraga, & in facilem pendent prærupta ruinam.
Scandere cæptantem quatiunt inſana Notorum
Prælia, & infeſto certant avertere niſu.
Ad latus haud unus ſinuoſa volumina jactat
Anguis, & hoſtili Draco peſtifer ore ſuſurrat.
Hæc magno ſuperanda viris ſunt cuncta labore,
Si ſummi cupiunt conſidere vertice montis.
Scilicet invidiæ dentes fabricæque doliq;
Inſidiatorum, tum quicquid ubique malignum,
Quicquid & infandis vitiorum ſordibus horret,

Id

Id grave Virtutis lumen, vultusque verendos
Ferre nequit, jugi contra luctatur arenâ,
Et velut oppositis tentat certamina castris.
Sæpè sed adversis etiam Dea cæca maniplis
Ingruit, & sceleri fautrix male-sana ministrat,
Injustisque ferox meliores concutit armis.
Scilicet hos audax, vel in optima pectora, ludos
Permittit Fortuna sibi, permittit & ipse
Fortunæ RECTOR, totius & Arbiter Orbis.
Sic etenim solet ille Viros ostendere magnos.
Sic facit is magnos. Nam non-nisi vulnere multo
Perveniunt ad summa Duces fastigia laudum.
Sic victura solent sibi condere nomina Nautæ,
Qui trepidâ cursum turbata per æquora navi
Felicem tenuêre. Salum moveatur ab imo
Gurgite, vesani surgant ad sidera fluctus,
Non faciat nisi spuma diem, vel ab æthere fulmen,
Antennas rapiant venti, media arbor in undâ
Cum velis demersa natet. Bibat ipsa fatiscens
Æquoreas jam puppis aquas, tum Navita, si quid
Artis habet, monstrare ardet, tum sistere tuto
Littore si potuit, trepido cum remige, proram:
Egregiam sanè laudem famamque meretur.
Sic adversa probant pariter Virtutis alumnos
Fata, sed ignavo contrà marcescere somno,
Et torpere solent Felicibus otia luxu.
Ærumnis nutritur honos; sub sorte malignâ
Surgit, & illustri splendescit gloria luce.
Quid majus terræ? quid habent pretiosius auro?

Attamen haud trutinam lapidis fert judicis Aurum,
Id nisi septeno fornax decoxerit igne.
Reginâ volucrum non est laudatior ulla,
Non animis quoque major Avis: tamen ægriùs illam
Ut sobolem, acceptat mater: prius ætheris igne
Explorat teneram: Phæbi si lumina fortes
Sustinuere oculi, demùm pro germine vero
Suscipit alma parens; si connivêre, repellit.
Non aliâ Numen pariter sua pignora lege
Excipit, adversis variis, variisque periclis
Scrutatur duratque animos: & subjicit ungvi
Fortunæ, discant ut tristia ferre, novercæ.
Sic, quoscunque vehit prælustri gloria curru,
Quos nova, quos prisci celebravit temporis ætas,
Sic nomen peperêre sibi. Non pagina sacra
Diversum signavit iter, non carmina vatum.
Talibus Alciden agitarunt sidera luctis,
Heroëmque suo formarunt æthere dignum.
Vix dum natus erat, spiris cum tristibus angvis
Incubuit puero, tenerosque cruore lacertos
Imbuit elisus. Juveni prostrata tremendus
Submisit sua colla Leo, submisit & hydra,
Et Phlegethonteis protractus Cerberus undis.
Idem tergemino pollentem corpore vicit
Geryonem, Taurosque truces jugulavit, & Apros.
Quicquid & in terris ultricia fulmina cœli
Commeruisse videbatur, præfortibus ille
Perdomuit manibus, pondusque recepit Atlantis,
Desponsumque sibi collo libravit Olympum.

Sed magè certa sequar. Juvenûm castissimus ille
Josephus, sancto soboles carissima patri,
Quâ flagrat invidiâ? fratrum quas sustinet iras?
Quod datur in barathrum præceps? ut Memphidos oras,
Externique jugum Domini male venditus intrat?
Hinc dein exemptus, quanto discrimine vitæ
Virgineos servat mores, puroque virentem
Flore pudicitiam? quas rursum carceris umbras
Ingreditur, visus graviter peccasse petenti
Flagitium Dominæ, peccare quod abnuit, insons,
Et pœnæ, sine labe, reus. Tamen adfuit illi
Numen, & optatâ clausit mala fata coronâ.
Namque is magnificam tandem productus in Aulam,
Murice Sidonio sordes, ac vincula sceptro
Mutat, & immensis regnat ditionibus exul,
Niliacæ præses terræ, solique secundus
Pharonidæ, latèquè aliis nutricius oris,
Et fratrum, Patrisque sui Regalis alumnus.
Jam quid *Jessiaden*, vatum Regumque piorum
Æternum decus, aggrediar? non copia lingvæ
Tanta datur fandi, nec se tam carmine largum
Præbet Apollo mihi: varios ut dicere casus,
Fatalesque queam gyros, durosque labores,
Queîs Solymi quondam conscendit culmina Regni.
Vix dum puber erat, patrii cum pastor ovilis,
Quamlibet invalidus membris, tamen auspice fretus

Numi-

Numine, magnanimos cœpit jugulare leones.
His tyrociniis majoribus ille tropheis
Prælusit, summas posthac aditurus habenas,
Proque pedo vili sceptrum gesturus Hebræum.
Quod tenui primum fundâ (mirabile dictu)
Promeruit juvenis, vastâ cum mole superbum
Stravit, & illustri confecit cœde Gigantem.
Cumque caput raptum populoque Ducique supremo
Inter honoratæ monstravit fercula pompæ,
Inclytus hinc totâ, simul & venerabilis aulâ
Extitit. At Solymum tanti memoranda triumphi
Livoris tacito percussit vulnere Regem
Gloria, qui tristi mentem malè percitus oestro,
Artibus insontem variis agitavit & armis.
Proh Superi! quas ille minas tulit, exul ab Aula!
Ut lauru majore tamen, pulcherque cruore
Hostili, magnis obnoxia reddere perstat
Regna sibi meritis! Pariter sed Regia crescit
Ira, & quantumvis generum sibi legerat æger
Invidiâ Princeps, semper tamen æmulus illum
Urget, & ad sævam pergit deposcere cœdem.
Ille latebroso per inhospita tesqua recessu
Occulitur, vitabundus, vitamque tyranno,
Demere cum posset, toties largitur, & hosti
Abnuit esse hostis, Soceroque extrema minanti
Mansit amore gener: nec cæca libido
Regnandi, magnæ pestis blandissima mentis,

Movit, ut audendo cuperet præcurrere fatum.
Posteà cum Regem diro Libitina tulisset
Funere, jam plenâ populi moderamen habenâ
Cepit, & egregios veteri VIRTUTE triumphos
Egit, oliviferâ præcictus tempora fronde
Terror Idumæis, Solymi prosperrimus auctor
Imperii, populisque suis utrâque verendus
Pallade. Sed lœto dum rident omnia vultu,
Et nihil ad voti culmen superesse videtur,
Dat turbas furibunda novas, Regemque beatum
Undique, præcipiti quassat fortuna procellâ:
Cumque peregrini cessissent agmina Martis,
Internis prægrande focis jam præparat illi
Fulmen, & ex imis summæ penetralibus aulæ,
Ipsiusque sui mediis exsuscitat hostem
Visceribus, magnum dum seditiosa Parentem
Invadit Soboles. Reverentia prisca facessit,
Dat victas natura manûs, amor exulat omnis,
Suspirat projecta fides. Expellitur armis,
Quem decuit pietate coli, regnoque fugatur,
Cujus honos ipso felicis munere vitæ
Debuerat redimi. Sed scilicet omnis honesti
Cura procul cedit, cum pectora corripit æstu
Ambitio malesana suo: neque displicet isti
Empta vel extremi sceleris mercede Tyrannis.
Non tamen optatis ea semper ducitur auris,
Sæpè sed elatis Divina potentia figit
Spiritibus remoras, & per sua vota ruinam
Talibus accelerat. Princeps sic Regius ille

Non modò præruptis infelix excidit ausis,
Cincinnis sed & ipse suis, ceu funibus, hæsit,
Arboreâque comâ cœlum inter humumque pependit.
Hâc Caput alta petens cepit de fronde coronam.
At Rex iratis nuper qui cesserat astris
Exul, opesque suas, celsasque reliquerat arces,
Ad solium Regale redit, pollutaque Nati
Flagitiis repetit sacri penetralia tecti,
Infelix in prole pater, neque divite Regno,
Quod recipit, tantùm gaudens, quàm funere tali
Infausti juvenis mœstus, casuque nefando.
Sed quid prisca loquor, resonant quibus undique templa?
Nonne patet propior campus? nonne objicit ipsa
Stirps tua fortunæ varios, REGUM OPTIME, lusus?
Attamen hos etiam mihi non lubet ordine cunctos
Effari, nam majus opus, plectrumque requirunt
Dignius. At magnum saltem, CASIMIRE, PARENTEM
Sufficiat libare tuum. Quibus ille periclis
Ætatis teneræ primo jactatus ab ungve est?
Quàm variis quondam virides exercuit annos
Casibus? Obseptus squalenti carceris umbrâ
Sedit uterque Parens, cum prodiit ille sub auras,
Et nova maternis mutavit vincula vinclis.
Iugemuit misero veneranda puerpera fato:

Has ergò è patriis, inquit, *deducta sub oras*
Magna Jagellonidum *Soboles, per cærula veni*
Æquora, libertas nobis ut rapta periret?
Libertas hominum cuivis, brutisq; vel ipsis
Suave bonum. Sic Augusti pallatia Fratris
Deserui, rigidis cinctam ut custodibus arcem
Incolerem, Princeps decoriq; mihique superstes?
Quod crimen, quod triste nefas conmisimus unquam?
Quid tener hic meruit nostro de viscere fœtus,
Ut subeat commune jugum? neq; libera Solis
Lumina conspiciat: captiva sed ubera sugat
Matris, & incluso juxtà ferat oscula Patri.
Attamen intrepido discrimina nostra feramus
Pectore, lux veniet, magno nec limite distat,
Quæ nobis injecta, truci mox vincula Regi
Injiciet, Regnique dabit moderamina captis.
Et tu, parve Puer, maturus avita tenebis
Sceptra Jagellonidum, *& Lechicis dominaberis oris.*
Ac Patris in Regnis, hæres quia proximus urges,
Tu pariter successor eris: sed mira regenti
Instabit fortuna tibi. Sic dixit, & ortæ
Defluxêre genis lachrymæ. Neque dicta fefellit
Eventus. Tristi Genitor dimissus ab arce
Sceptra capit, Fratremque suas, autore Senatu,

Cogit

Cogit adire vices. Creſcit quoque *Filius*, ingens
Spes utriusque Domûs jucundaque cura Parentum.
Mox cum prima genas tegeret lanugo, vocatus
Ad Lechi ſolium, magni poſt fata *Batori*,
Incipit Auguſtæ populis edicere terræ
Jura SIGISMUNDUS, diademate cinctus avito.
Atque idem Patrium regimen, labentibus annis,
Suſcipit, & totâ populi plaudente coronâ,
Datque capitque fidem. Sed poſt contraria votis
Ejusdem Fortuna fuit. Dum triſtis Enyo
Sacra, profana movet. Proceres diſcordibus armis
Scinduntur, ſævitque animis malè turbidus ordo
Nobilium. Hæredi tolluntur Regna NEPOTI,
Sumit & hæc PATRUUS, propriæque obnoxia ſtirpi
Reddit, & ingenti prætextu parta tuetur:
Trajiciensque ſinus pelagi, Livonidi ſigna
Terræ infert, LECHICOQUE movet certamina Sceptro.
Unde tot asſiduis crepuerunt mesſibus arma,
PRUSSIDOS & latè manarunt ſangvine campi.
Sed nec Sarmatico ſemper concordia ſceptro
Perſtitit, hîc pariter populos armavit Erinnys,
Et, magnis Ducibus, turbam violenta Quiritum
Concivit, Regemque odiis aggreſſa malignis,
Civili cecinit triſtisſima clasſica bello.
Quid tamen? exortos Fortuna ſecunda tumultus
Deſtituit, nec fauſta diu tulit aura Tribunos,

Autores belli. Superavit, judice cœlo,
Regia majeſtas, iraſque animoſque feroces
Leniit, & Jani felici templa quiete
Clauſit, in externas divertens triſtia gentes.
Jam numeris ſi noſtra ſuis Te dicere Muſa,
REX CASIMIRE, velit, tantis quis terminus orſis?
Dicenti quis finis erit? Sed proxima tantùm
Tangere, conſilium eſt. Clarum ſuper æthera Fratrem
Cum ſua reddiderant Aſtris non æqva Polono
Fata, quis orba ferus turbavit Regna tumultus?
Quis furor agreſtes lymphavit & arma rebelli
Accinxit populo, permiſcens omnia vaſtis
Sauromatum terris? Tum Te malèquaſſa Patronum
Elegit tua Terra ſibi, & diademate vinxit.
Tu mala pacaſti, ſed multo ſæpè labore,
Caſibus & variis traxiſti tempora, vitæ
Prodigus ipſe Tuæ. Nam ſæpius hydra malignum
Erexit rediviva caput; viresque reſumpſit
Titanum truculenta manus. Tu ſoſpite dextrâ
Viciſti trepidos, ac tandem legibus æquis
Mite jugum rabidæ quæsîſti imponere plebi.
Poſt & Hyperboreus robur prægrande Dynaſtes
Commovit, feſſoque manus injecit atroces
Sarmatiæ populo, Lithavosque acerrimus agros
Corripuit: cui tota ſuas propè Rusſia vires
Addidit, & junxit perjurus iniqua Coſacus
Arma, ſacro fidei jure, & communibus aris

Junctus,Moschiadum trabeas latèque patentes
Jam dudum veneratus opes. Quò pronius illis
Mox terræ patuêre tuæ: nec sola catervis
Innumeris potuit lassata Polonia vires
Objectare pares. Accesit denique Gotthus,
Trajectoque tuos invasit milite fines
Tota fremens Arctos, audax Germania robur
Miscuit, immisitque Duces, validasque phalanges.
Et Scythicas ducens mox Transsylvania turmas
Ingruit. Has nostri subitò crepitantibus armis
Deprênsi, langvente parant avertere dextrâ:
At frustrà. Validæ nam præpotuêre cohortes,
Et tantis Ducibus, quos Teutona terra tot annis
Durârat bello, vix ullo obstante, Polonum
Pervasêre solum. Nam nec concordia mentes
Vinxerat, occultos irarum pectore fluctus
Voluebant Procerum multi, turbonibus aures
Præbentes; & lapsa novâ feliciùs aurâ
Impleri sua vela rati. Tu tempore tali
Quas poteras, contra ducis, Rex optime, turmas.
Vincere sed primis æther Te noluit ausis;
In nostrum quia justa nefas exarserat ira;
Terræque intererat, rigidum sentire flagellum,
Disceret ut sanctis melius sua dedere colla
Legibus, exueretque situm, moresque solutos.
Scilicet in præceps scelerum nimis impete prono
Ivimus, & metam vitiis non fiximus ullam.
Improba jamdudum lascivo ardore libido
Prolicuit Nemesin: simul & vesana gulosi

Luxuries ventris, patriique ſuperbia censûs
Prodiga, & ingenti contemnens omnia criſtâ
Spiritus, ac miſeræ toties injuria plebi
Vis, legumque acies obtuſa, & languidus æqui
Juſticiæque vigor, nulloque coërcita fræno,
Ipſiusque etiam ſecura licentia cœli.
Ingemuêre pii, ſimul agmina tanta malorum
Præſagis ſensêre animis. Tuque, optime Regum,
Optâſti vitiis noſtrîs afferre medelam.
Sed citiore nefas, & pœna ſecuta cucurrit,
Quam medicina, gradu. Rapidi ſic Martia belli
Tempeſtas crevit, totoque gravisſima cœlo
Fulmina Parrhaſiis tonuêre ruentia flammis.
Et propè jam Boreæ cesſit, rigidoque Trioni
Fiſſa ratis, tremuitque ingens ſub pondere Clavus.
Interea valuêre preces, & vota ſeverum
Æthera mulsêrunt: veniam ſibi ſupplice vultu
Sarmatiæ tellus petiit: ſimul ipſa lacertos
Movit, & antiquæ memori ſe pectore laudis
Admonuit. Proceres, ſubito quos impete primùm
Diſpulerat fortuna celer; præeunte Camillo,
Poſtera perpetuis quem dicet pagina faſtis,
Conſilium capiunt, tali ſub faſce gementem
Quî ſervent Patriam. Tu mox quoque jungeris illis,
Et ſparſos pasſim revocas ſub ſigna Quirites,
In cunctos pariter caſus, & in omne perîclum
Promittens Regale caput. Primusque juvandi

Rem lapſam modus occurrit, pacare Coſacos,
Totiusque Arcti ſubnixum robore Moſchum.
Nec male cesſit opus. Mox, qui jam reſtitit unus,
Omnibus impetitur nervorum viribus hoſtis.
Ambiguo ſed adhuc ſtabat Rhamnuſia vultu,
Et velut alterutram metuens damnare ruinæ,
Quam vinci vellet, nequiit decernere, gentem.
Unde diu dubiis hæſit Victoria pennis.
At nuper Lechicam, poſt multa pericula, terram
Reſpexit melior DEus, ingentesque paratus
Jam fulcit, Caſimire, tuos: jam pluribus hoſtis
Mænibus excutitur, variosque ſubinde requirit
Qui bello cecidere, Duces, captive tenentur.
At tua pervolitant totum nunc agmina Regnum,
Et repetunt Urbes, aliasque indagine cingunt.
Ipſe Borusſiacos, Aquilis comitantibus, agros
Ingreſſus, quod læta tibi fortuna ſecundet,
Oppida, quæ firmis inſederat hactenus hoſtis
Præſidiis, ſub prima vocas tua jura maniplis
Vindicibus: lauruque virens, palmisque decorus,
Omine felici. noſtris Te Mœnibus infers.
Geſtit ovans & læta facit tibi vota Senatus,
Exultat Populus. Dominoque occurrere certans
Urbs totos effuſa ſinûs, & plena triumphi,
Talibus affatur Te, Musâ interprete dictis;
Cujus inoffensâ, ceu fas Pietasq́ jubebant,
Intrepidâq́ fide nutum ſervavimus, inter
Bellonæ ſtrepitus, nihil arma dolosve morati:

Cujus & infestæ Constantia nostra tot annis
Ingemuit sorti, fidisq; obnoxia votis,
Quam potuit, celeravit opem; terrâque marique,
Obnitens valido modicis pro viribus hosti,
Magnanimosque Duces, formidatosque per Orbem,
Numinis auspicio, vinctos in carcere monstrans:
Hunc lætabundi nostrâ veneramur in Urbe,
Et salvum Cives patulis amplectimur ulnis.
Unde pio primùm grates persolvimus ore
Æthereo, qui cuncta gerit flectitque, Monarchæ.
Ille laboranti per tot discrimina Regno,
Et grandi columen rupesque adamantina Regi,
Hos pariter nostros cælesti milite muros,
Fessaque consiliis & robore pectora sepsit,
Vertit & horribiles valida in munimina montes.
Tu verò Lechici Rector fortissime sceptri,
O Salve CASIMIRE, tuæ Lux unica Stirpis,
Perpetuumq; decus. Qualis post longa refulget
Nubila, cum nitidos pulsâ caligine vultus
Ostendit, pulchramq; comam Phœbéia lampas:
Talis in obscurâ bellorum nube gementi
Appares Populo. Non æquè lumine grato,

Cum

Cum venti ſtrepuêre, & inhorruit unda tenebris,
Cumq́; Erebo cælum Neptunia miſcuit ira,
Affulget miſeris gemino cum ſidere Nautis
Tyndarides. O Te ſeros ſic porrò per annos
Cælica perpetuis clementia protegat alis:
Te curam probet eſſe ſuam, Te nobile cæli
Delicium, columenq́; Tuis inflexile terris.
Ex Te ſit meritis pretium, ſit legibus æquis
Præſidium, duros virtus Tua fulminet hoſtes.
Ut ſic armiſoni claudantur limina Martis,
Ut populis fœcunda quies, ut candida ſeclo
Pax redeat, plenoque fluat bona Copia cornu
Omnibus, huicque amplæ Tua Gratia fulgeat Urbi,
Fulgeat & Muſis, quæ Te ſuper æthera tollent,
Et tua perpetuis inſcribent nomina chartis.

Hymnus
S. S. AMBROSII & AUGUSTINI
TE DEUM LAUDAMUS
&c.
Odâ Latinâ redditus.

TE magne rerum Conditor omnium,
Læti decorâ laudis adoreâ
Mactamus, & grates merenti
Solvimus ore tibi perennes.
Quàcunque mundi machina panditur,
Clarescit ingens gloria nominis
Tui, celebraturque Eoo
Solis, & Hesperio cubili.
Te Sancta Cæli Spirituum cohors,
Te Cherubina & Seraphidum sonans
Vox, *Sanctus es Tu terq; Sanctus*,
Ingeminat, *DEUS Imperator*
Dextrâ potentum maximus agminum.
Te plenus æther, mirificum decus,
Et summa Majestas honoris
Splendet ubiq; Tui per Orbem.
Apostolorum Te sacra dodecas,
Te turba Vatum fatidica, & suo
Cruore pulchri Martyres, &
Christiadum genus omne adorat.

Fontem

Fontem celebrant Te, Pater, omnium,
Natumqne Patri Numine comparem,
Et Spiritum manantem utroque,
Muneris omnimodi datorem.
Te, Nate, nobis immemorabili
Ortu, Paternæ mentis imaginem,
Mortalium causâ fatemur
Virgineum ſubiiſſe ventrem,
Te morte mortis ſpicula, te ſtygis
Fregiſſe clauſtrum, regnaque triſtia,
Et perditæ felicitati
Reſtituiſſe perire dignos.
Hinc te triumpho ſidera nobili
Intrâſſe; & orbis flectere cardines
Cælique ab aulâ tandem, habendo
Judicio reducem futurum:
Succurre nobis optime Cælitum
Idemque terræ totius Arbiter,
Succurre nobis, quos cruoris
Grande tui pretium redemit.
Fac Chriſte, Cæli participes tui
Ut ſimus olim, fac fidei viâ
Quos æmulari optamus, illis
In Superâ ſociemur Aulâ.
Te pande nobis, pande DEus, Tuo
Optata præbe fata peculio,
Dextrâ fideles duc potente,
Auſpiciisque bea ſecundis.

Phæ-

Phæbéa nunquam fax revehit diem,
Quin noſtra laudi lingua vacet tuæ,
Nec grande nomen tradere ævo
Immemores erimus futuro.
O fauſta nobis hæc niteat dies,
Nec noxiarum nos maculet notis,
Cumque in nefas proni ruamus,
Suſtineas, Pater, impotentes.
O experiri da placidus tuam
Nos lenitatem, viſcera gratiæ
Effunde, & alluce ſerenam
Supplicibus faciem miniſtris.
Hæc nempe noſtri pectoris intimis
Sedit favoris ſpes penetralibus :
In te recumbentes, ruboris
Perpetuò maculâ carebunt.